













1.  
2a  
3a  
4a  
5.  
6.  
7a  
8  
9  
10  
11  
12





1671.

1. Beermannus, Joh. Christoph : De quarta monarchia.
- 2<sup>a</sup> Rhetius, Joh. Fredericus : De judiciorum possessoriis
- 3<sup>a</sup> Rhetius, Joh. Fredericus : De jure necessariae defensionis.
- 4<sup>a</sup> Rhetius, Joh. Fredericus : De jure portuum.
5. Rhoden, Marcus : De jure belli.
6. Strykius, Samuel : De pactis successoriis eorumque  
justitia.
- 7<sup>a</sup> Strykius, Samuel : De jure reverentiali
8. Strykius, Samuel : De jure pontium.
9. Strykius, Samuel : De jure cogitationum.
10. Strykius, Samuel : De jure oblivionis
- 11<sup>a</sup> Strykius, Samuel : De jure testandi inter liberos  
2 Exempl 1671:1683,
12. Wolff, Philippus Jacobus : De demeritione titis





1. Anatomie, des Menschen : 1. Buch

2. Anatomie, des Menschen : 2. Buch

3. Anatomie, des Menschen : 3. Buch

4. Anatomie, des Menschen : 4. Buch

5. Anatomie, des Menschen : 5. Buch

6. Anatomie, des Menschen : 6. Buch

7. Anatomie, des Menschen : 7. Buch

8. Anatomie, des Menschen : 8. Buch

9. Anatomie, des Menschen : 9. Buch

10. Anatomie, des Menschen : 10. Buch

11. Anatomie, des Menschen : 11. Buch

12. Anatomie, des Menschen : 12. Buch













20.

Q. D. B. V.

466

DISPUTATIO JURIDICA,

1671, 4a

De

# JURE PORTUUM,

Dom

Recht der Meer-Havenn /

QUAM

ADSISTENTE DIVINA GRATIA

*Auctoritate & Consensu*

Magnifici Jctorum Ordinis

P R Æ S I D E

DN. JOH: FRIDERICO RHETIO,

J. U. D. Pandect, P.P. Celeberrimo,

*Domino Patrono ac Praeceptore suo atatem  
colendo;*

publicæ Disquisitioni proponit.

AD DIEM VII. APRILIS. A. R. O. MD. C. LXXI.

*Horis locoq; consuetis*

ALBERTUS VVEGER,

Regiomontanus Boruffus.



FRANCOFURTI ad VIADRUM.

Literis FRIDERICI Lichorns.





V I R O  
ILLUSTRI AC MAGNIFICO  
DN. JOHANNI ER.  
NESTO à Wassetrod/  
Serenissimi Electoris Branden-  
burgici Consiliario Regiminis  
Borusiaci supremo & Palatii  
Provincialis Magistro, Hæredi-  
tario Domino in Pachollen,  
Preckelvvitz, Attstad, Konigsee, Irgelak, Nevven  
Dorff, V Vilkienen, Liepe, &c.

*Mecœnati ac studiorum Patrono maximo, in sollicitæ gratitu-  
dinis ac humillimæ observantiæ Symbolum, pia manu,  
devoto animo, hoc quicquid est Exercitii Academici  
sacrum offert*

ALBERTUS Weger/  
Autor & Respondens.







## PRÆFATIO.

**M**ercaturam, Societatis animam, si quis dixerit, non errat; siue enim causam Societatis, indigentiam humanam respicias, eam adeo commerciorum reperies indigam, ut sine iis vix momentum vita humana commode persistere possit, siue etiam in Societatis conseruationem inquiras, commercia esse, quæ constitutam inter gentes Societatem confirmant, non negabis. Unde in duabus rebus Commercio & Imperio, Societatem consistere, non ineleganter asseruit Lipsius, & Plato, cum institueret, quomodo Civitates bene habitari possint, imprimis negotiatores necessarios duxit. l. 2. ff. de Nundinis. Hinc quoq; imprimis mercatura favere, illiq; ampla concedere privilegia videmus eos, qui Reipubl. suæ curam gerunt, aut suas vel locupletare vel clariores reddere satagunt ditiones; quot enim sunt, quæ per solam mercaturam ad summum pervenerunt fastigium? certe, si Batavis Venetis plurimisq; civitatibus mercaturam demas, vix nomen ipsis remansurum, certum est. Prout vero mercatura maritima præ terrestri opulentior, majoremque Reip. præstat utilitatem, sic majori quoq; cura, ni natura

A tura





tura obstiterit, eadem promovenda est. Aristoteles quidem à maritima alienus, solam terrestrem ex agricultura & pecuaria mercaturam suadet: Et Lacedamoniorum Legis meminimus, qua civibus navigandi studium interdicebatur; sed utrique in eo genere simplicior & rudis adhuc ætas opinandi occasio fuit. Indigentia deinde & cultior ætas civitates longe aliud docuit; poëta teste:

Non eadem tellus parit omnia, vitibus illa  
Convenit, hæc oleis, hic bene farra vigent,  
Quot dissitæ Regiones sunt, præciosissimorum fructuum  
feraces, ad quas vel nullus, vel difficilis sine navibus a-  
ditus? quarum omnium commodo sine maritima mer-  
catura carendum esset. Tacebo emolumenta inde Oriun-  
da plura. Cum autem mercatura hæc variis exposita  
periculis deprehenderetur, de Securitate aliqua isti pro-  
spiciendum erat, nullo commodiori momento, quam Por-  
tus juribus singularibus muniendo, eosdemq; privilegiis  
amplis ornando. De quibus Portuum Juribus in præsens  
quædam loco Disputationis publicæ proponere animus est,  
non quidem pro dignitate materiae aut Doctiorum  
palatu, sed in quantum & ingenii & instituti ratio per-  
mittet. Ne autem sine Ductore procedam: DE-  
UM Opt. maximum ardentibus votis obnixe rogo, ut  
per legitimos juris tramites mihi currenti ipse Ductor  
& Doctus adsit, quo sub ipsius nomine, tentatum iter  
secundis exequi possim auspiciis. CA-



CAPUT I.  
DE NATURA PORTUS.

SUMMARIA.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. <b>S</b>ignificatio Tituli præmit-<br/>tenda, &amp; quare</p> <p>2. Jus unde dicatur.</p> <p>3. Jus quid hic significet.</p> <p>4. Portus unde dicatur.</p> <p>5. Germanorum Haven. unde<br/>dictum.</p> <p>6. Portus significatio alia propria.</p> <p>7. Alia impropria quæ est vel<br/>Synecdochica.</p> <p>8. Vel Metaphorica.</p> <p>9. Definitio Portus.</p> <p>10. Portus quare dicatur rece-<br/>ptaculum.</p> <p>11. Portus st. l. ad litus vel ad<br/>ostia fluviorum siti.</p> | <p>12. Portus differt à vocabulo<br/>Batavico Rüste.</p> <p>13. A vocabulo Rheede.</p> <p>14. A freto.</p> <p>15. Finis portuum.</p> <p>16. Portus alii naturales.</p> <p>17. Alii Artificiales.</p> <p>18. Portus Ostiensis.</p> <p>19. Sumptus ad Exstruendos<br/>portus unde petendi, &amp;<br/>qui immunes. 20.</p> <p>21. Portus lege publica con-<br/>stituitur.</p> <p>22. Portæ portibus comparan-<br/>tur.</p> |
|---|---|

**J**ura Portuum exposituri, ea quæ ad significationem tituli faciunt, merito præmittimus; cum è re sit priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre, *l. 1. ff. d. R. C. fecerunt hoc & inculcarunt passim juris DD. quod videre est ex Titulis ff. C. X. in Sexto, Clement. Xvagent. Joan. 22. de Verbor. signif. §. 2. Inst. d. Furtis, l. 1. ff. Qui satisfacere coguntur, c. 2. & 3. Distinct. 3.*

A 2

Et id



Et id merito, intellectis enim vocibus earumque virtutibus, rectius res ipsa intelligitur, & intellecta facilius determinatur. *arg. leg. 27. ff. qui testam. facer. poss.*

2. Jus natura sua à jubendo dictum videtur *Calvinus in Lexico jur. voce jus*. Idem pro arte, à justitia appellatur. *l. 1, ff. d. J. & J.*, derivatione, non quidem Grammatica, cum jus sit primitivum & rectius Justitia à jure derivetur, *Vvesenb. ad Tit. d, J. & J. num. 3.* sed Logica quatenus scilicet in concreto jus consideratum sumitur pro arte juris, justitia posterius est, eamque pro Objecto habet. *Zæsius ad Tit. ff. de J. & J. num. 3.*

3. In enarrandis variis acceptionibus vocabuli juris minus solliciti, determinamus, nobis hic juris nomine venire, qua denotat qualitatem autoritate publica inditam, ut ipsi portus diversimodè censeantur.

4. Portum *Brachæus ad leg. 59. d. V. S.* & alii quos inter *Becmannus de Originib. LL.* sub voce Portus, derivant ἀπὸ τῆς πορτῶς à freto & sinu maris, trajectu ad alias nationes facilimo, verum, præterea quod nec scripturæ ratio congruit, πορτῶς enim cum aspiratione & μ. Portus vero sine utroq; scribitur, vix conveniet hæc Etymologia, propterea, quod nulla convenientia significationis freti & portus, vel si qua est, ad eam portus significationem referenda sit, qua navis stationem significat, quæ impropria est, proprie enim Insulam significat, ut mox dicemus: non autem in Impropria sed in propria significatione vocabulorum origo quærenda.

5. Rectius ergo Portum à portando dicimus, quia in illum importantur & exportantur merces *per l. 59. d. V. S.* quod ulterius declaratur ex hoc, quod *Isidorus lib. 14. c. 8. Origin.* tradit: Veteres Portus Bajas dixisse à portandis bajulandisque mercibus.

In



In Originem vocis germanicæ **Haven** inquirere operæ s.  
pretium putamus, nec enim sermonem patrium fastidire de-  
bemus, sed potius turpe ducere eorundem vocabulorum pro-  
prietates, quibus quotidie utimur, ignorare. arg. l. 2. §. 48 ff. d.  
O J. Et quidem *Marquard. de Jure Mercator lib. 3. c. 4. n. 5. & seqq.*  
postquam nonnullorum opiniones, qui hoc vocabulum, vel  
ex Persico, vel ex Arabico Idiomate deducunt, exposuit, non  
incommode ab antiquo germanico **Habenen / Havenen /**  
quod colere significat, derivari dicit: unde **gehaben / cultus,**  
**ungehaben incultus.** **Haven** ergo significat secundum ori-  
ginem suam, locum cultum, habitatumque, habito scilicet  
respectu maris inculti inhabitatque. Quid si à germanico  
**Haben** habere, deduceretur, propterea quod in portibus  
propter frequentiora commercia omnia facilius haberi ac  
comparari possint?

Appellatio portus duplex est, alia enim est propria, a- 6.  
lia impropria. Propria est, quando significat insulam, mer-  
cium importandarum & exportandarum causa ita exstru-  
ctam, ut ab incendiis, fumis incursionibusque tutior securi-  
orque sit. *Gæddens ad leg. 59. ff. d. V. S.* Insula autem ex defini-  
tione Festi hic significat ædificium proprio ambitu à cæte-  
ris ædificiis constans, l. 14, ff. d. S. U, P. l. 91. §. 6. ff. d. Legat.  
3. *Gryphander d. Insulis c. 1. n. 40.* Qua in significatione accipi-  
tur Portus in d. l. 59. ff. d. V. S. ibi: Portus est locus conclusus  
quo importantur & exportantur merces. Hujusmodi quo-  
que videri possunt ædificia illa à cæteris plerumque separata  
quæ vulgo nostri vocant **Packhäuser** item apud nos **die**  
**Nisch und Theerhöffe** item **die Speicher** vid. *Dn. VVegn.*  
*p. m. Academia Patriæ quondam Antecessor ad d. leg. 59. ff. D. V. S.*  
Impropria Portus significatio duplex est. 1. Synecdochica, 7.  
quando domū quamlibet significat, fortean propterea, quod  
initio urbis Romæ, non adeo aucta Republica, domus instar





insularum seu Portuum ædificatæ fuerint. In hac significa-  
tione accipitur *in L. L. 12. Tabular.* quando dicitur: Cui Te-  
stimonium defuerit, is tertius diebus ob portum obvagularum  
ito. Ad quam legem intelligendam, sciendum, constitu-  
tum fuisse legibus per triduum testimonii denunciationem  
fieri debere *l. 10. ff. d. Publ. Judic. Godofred. ad verba LL. 12. Tu-  
tel.* Quod si quis jam suam intentionem intra tres dies nullo  
probare poterat testimonio, quandoquidem deficiente testi-  
monio inutiliter in iudicio acturus esset. *l. 4. C. d. Edendo De-  
cemviri, cum sæpe non jus sed probatio deficiat l. 30. ff. d. te-  
stam. Tutel.* litigatori permiscere, ut post tres dies, ob portum  
h. e. domum adversarii obvagularum eat, h. e. ab adversario  
testibus adhibitis cum convicio rem repetat. Facit huc locus.  
*Plauti in Aulul.*

Ita me bene amet Laverna tu jam nisi reddi

8. Mihi vasa jubes, pipulo hic differam te ante ædes.

Quo in loco pipulo differre ante ædes, nihil aliud, quam ob  
portum obvagularum ire, & convitari: pipulum enim idem  
est quod Convitium Varroni de L. L. declinatum à pipatu pul-  
lorum, & vagulatio, idem quod quæstio seu inquisitio cum con-  
vicio, *vid. Crispinus & Gothofred. in Notis ad L. L. 12. Tabul. Rit-  
tershusius in Comment. ad ll. 12. Tabul. Class. 3. part. 3. c. 6.* Hæc  
ob portum obvagulatio, ut & hoc addam, efficiebat, ut si fa-  
cto isthoc convicio, Adversarius, cui convitium factum, rem  
petitam restituere ad huc cessaret, libera esset litigatori po-  
testas, in portum seu domum adversarii ingrediendi, inque  
ea rem suam quærendi. *Crispin. d. l. Bocerius de Regalib. c. 3. u. 128.*

2. Significatio Impropria est Metaphorica, quando Por-  
tus pro statione navium accipitur. Statio autem est locus  
conclusus ubi naves tuto stare possunt. *l. 1. §. 13. de fluminib.*  
Nam quia etiam Navium stationes munitas atque conclusas  
esse oportet, ut in iis naves mercesque illatæ, tutæ, & à ven-  
tis



tis procellisque munitæ stent ac persistant, perinde ac in portu quodam h. e. Insula seu domo munita, inclusæ; ad hæc, naves in id exstructæ sint, ut merces portent, statio quæ naves simul & merces recipit, atque ita quodammodo locus fit quo merces importantur & exportantur: quæ ratio similitudinis Metaphoricæ est, qua Statio Navium portus dicitur. *Dn. VVegner. ad d. l. 59. d. V. S. Gæddens ad leg. 59. d. t. d. V. S. & ex hoc Calvinus in lexico Juridico sub voce Portus.* In eadem significatione supponitur. *insape d. l. 59. d. V. S. verb; Ea q; nihilominus statio est conclusa atq; munita. Itemq; in l. 7. C. d. Oper. Publicis, l. 1. §. 19. ff. d. fluminib. l. unic. C. d. litor. & Itin. custodia.* Quæ acceptio, quamvis impropria, usu tamen præ ipsa propria adeo invaluit, ut hodie primo statim conceptu vix aliud quam ejuscemodi navium stationem, portus significet.

Proindeq; cum commodius vocabulū non succurrat imprimis in hac significatione nostræ erit tractationis. Cujus ordo ut Definitionem tradāmus, exigit, quam si non secundum Logicorum præcepta, aut omnino accuratam proposuerimus, à benevolo Lectore veniam impetraturos nos speramus, cum hætenus vix ullum, hac in re præcessorem videre contigerit. Describimus autem Portum, quod sit receptaculum Navium ad litus seu ostia fluviorum situm, natura vel arte receptas naves à procellarum tempestatum pyratarumque injuria vindicans, lege publica constitutum.

Portum diximus esse Receptaculum, à recipiendo<sup>10.</sup> quod naves, quæcunque tandem eo devenerint, si ve rostratæ, si ve oblongæ, si ve onerariæ, si ve actuariæ, si ve alius generis fuerint, recipiat. Et quidem situm esse ad litus, vel ad fluviorum ostia. Sunt enim ejus<sup>11.</sup> modi stationes Navium, vel ad litus, quod est, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit §. 3. *Instit. d. R. D.* si scilicet nullus adsit fluvius, in quem se mare exoneret; ut est Portus Venetorum, itemque qui est Marsiliis, & Coronæ vulgo  
Bande





Rande Cron in Dania &c. vel etiam ad ostia fluviorum sitæ.  
*Gryphiander, d. Insulis c. 31. n. 171.* Uti est uterque Ducatus Prus-  
siæ Portus. Ostia autem dicuntur exitus fluviorum, Ger-  
manis **der Mund eines Flusses**/ hinc prope Lubecam vi-  
cus **Trabe Munde** & prope Rostochium **Warne Munde** dici-  
tur quasi wo der Mund der Traue/oder der Warne ist.

Differt ergo Portus 1. à vocabulo Batavico **Rüste**/ quod  
12. **latus** significat, & denotat regionem terræ adjacentis, ut die  
**Engeländische Rüste**/ die **Frantzösische Rüste**/ 2. à vocabulo  
**Rheede**/ quod significat confinium circa portum, in quo na-  
ves anchoras jacere, & aliquo modo etiam tutæ stare possunt.  
14. 3. etiam differt Portus à freto, nostris **der Sund** dictum, quod  
sinum maris significat, quale est celebre illud fretum Dani-  
cum, quod etiam **κατ' ἔξοχὴν der Sund** dicitur. Ab quo voca-  
bulo **Sund** & insula **Stralen** Urbem Stralsundium quoque  
dictum putamus, quasi **der Stralische Sund**/ qui insulam  
Stralem alluit. *Gryphiander. d. Insuli. c. 3. n. 53.*

15. Finis Portuum est fidam securamque Navibus præstare  
stationem, & à tempestatibus pyratarumque incursionibus  
easdem defendere. Quod cum dupliciter fiat, vel enim pro-  
pter naturalem situm naves tutæ stant; vel etiam propter ac-  
cedentem artem, & operam humanam: hinc quoque Por-  
tus sunt vel Naturales, vel Artificiales. Naturales sunt, quos  
16. natura ipsa artificiosissima operum conditrix primitus struxit,  
ita ut vel è conspectu insulam aut promontoria habeant, qui-  
bus undarum fluctus franguntur, & stationes ab omni tempe-  
statis injuria tutiores redduntur: quos Virgilius lib. 1, æneid.  
v. 164. sic describit:

Est in secessu longo locus insula portum  
Efficit, objectu laterum quibus omnis ab alto  
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.  
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur.

In Cœ.



In Coelum scopuli, quorum sub vertice late  
Æquora tuta silent.

Ejusmodi visuntur in Sicilia Mesinæ & in Gallia Marsilis.  
*Boterus de Orig. Urbium lib. 1. c. 10.* & imprimis huc referendus  
Portus Constantinopolitanus, de quo *vid. Hyppolytus à colli-*  
*bus de Increment. Urb. c. 5.*

Artificiales Portus sunt quos ars sive industria humana 18.  
obices quasi contra ventorum impetus struxit, quales sunt in  
Sicilia Palermi, & in Italia, Genuæ: ubi portus mole sexcen-  
torum passuum, quo navibus sæviente Africo, naufragio ex-  
positis succurratur, clauditur, *Autor Descript. Reip. Genuensis.*  
*Itemq; Buno in Notis ad Cluver. Geograph. lib. 3. c. 36. n. 8. Bote-*  
*rus d. Orig. Urb. lib. 1. c. 10.* Item Portus Ostiensis, qui semper,  
quoties alio Portu non addito in historia Romana Portus no-  
minatur, intelligitur. *Panciroll. in Notit. Imp. Occid. c. 9. arg. §.*  
*2. Inst. d. 7. N. G. & C.* de cuius structura à Julio Cæsare pro-  
pter difficultates sæpius omissa, à Claudio verò Imperatore  
perfecta vid. *Svetonius in vid. Imp. Claud. cap. 19.* Formam &  
modum huiusmodi artificiales extruendi portus non propo-  
nimus, Lectores ad Vitruvii Architecturam & qui hoc Recen-  
tiores sunt remittentes.

Cæterum de sumptibus ad extruendos portus conqui-  
rendis, brevibus. Scilicet cum hoc opus sit publicum, quia 19.  
Civitati & Usui publico extruitur, omnes conferre tenentur.  
*l. 7. C. d. Opib. Publ.* ita ut nemo licet alias privilegiatus, ullo  
dignitatis privilegio excusetur. *d. l. 7. Dn. Struv. Syntag. Jur.*  
*Civil. Ex. 50. & 80.* Imo nec ipsæ venerabiles Ecclesiæ & do-  
mus divinæ ab his collectis immunes sunt, quia constructio seu  
Refectio Portus nec est opus sordidum, nec personale. *l. 7. C.*  
*d. SS. Eccles. Novell. 138. c. 3.* à quibus tantū immunes habentur.  
*l. 5. C. de SS. Eccles. Dn. Brunneinan. ad l. 7. d. Opib. Publ. Itemq;*  
*ad l. 5. & 7. d. SS. Eccles.* Peregrini appellentes ad portum, cum  
B hoc



hoc ipso securitate Portus maxime fruantur, omnino quoque ad refectionem tenentur, cum secundum naturam incommoda ferre debeat, qui commoda sentit. *l. 10. ff. d. R. J. Dn. Brunnemann. in supra citatis locis. Dn. Marquard. de Jur. Mercator. lib. 2. c. 3. n. 2.* Ultimo circa Definitionem Portus traditum est, lege publica Portum constitui; non quasi lex publica locum alias inidoneum portuosum reddat vel contra. Sed propterea, quod talis navium segura statio jura portus non aliter, quam per publicam superioris Constitutionem consequatur.

21. Nam sicuti machina seu ædificium Portæ, jura Portarum eidem non tribuit, sed sanctio superioris, quia & diruta porta jura Portarum salva manent: Ita quoque in Portibus, qui Portis comparantur. *vid. Tholoz. de Republ. lib. 2. c. 9. n. 2. & seqq.* Locus in se, Portus jura non habet, nisi eidem à superiori fuerint concessa. Et hinc destructo etiã portu, ejus jura & privilegia salva subsistunt. *arg. l. 20. §. 2. ff. d. S. U. P. ibiq. Godofr. lit. K. it. argum. c. 2. cum ex injuncto X. d. N. O. N. Matthias de Affli. Etis d. Feudis ad cap. unic. 2. feudor. qua sunt Regalia.*

## CAPUT II.

### DE DOMINIO ET JURISDICTIONE PORTUS.

- |  |   |  |
|--|---|--|
| 1. <i>Dominium quid</i>                  | } | 6. <i>Nulla fuit Commutatio primaeva.</i>  |
| 2. <i>Dominium ex possessione cæpit.</i> |   | 7. <i>Textibus Juris Civilis quid Juris Nature vel Gentium sit, firmiter non probatur.</i> |
| 3. <i>Naturalis possessio quid.</i>      |   |  |
| 4. <i>Quid Civilis</i>                   |   |  |
| 5. <i>Origo possessionis,</i>            |   | 8. <i>Jus</i>  |



- |  |   |
|--|---|
| <p>8. <i>Jus Gentium</i> sæpe in <i>Jure Romano</i> <i>jus Natura</i> significat,</p> <p>9. <i>Argumenta</i> nullam fuisse <i>Communione</i> probantes, referuntur.</p> <p>10. <i>Dupliciter</i> dicitur <i>res Communis</i>.</p> <p>11. <i>Quid</i> in <i>Romano Jure</i> <i>Res Communis</i>.</p> <p>12. <i>Quid</i> in <i>Eodem</i> <i>Res publica</i>.</p> <p>13. <i>Principes</i> hodie <i>res publicas</i> &amp; <i>Communes Regalium</i> <i>Constitutione</i> sibi appropriarunt.</p> <p>14. <i>An jure hoc</i> fecerint, queritur.</p> <p>15. <i>Membri primi</i> <i>Conclusio</i>.</p> <p>16. <i>Jurisdictio</i> quid.</p> <p>17. <i>penes quem</i> resideat.</p> | <p>18. <i>An Princeps</i> in propria <i>persona</i> <i>jus dicere</i>, an vero id <i>Juris peritis</i> committere debeat.</p> <p>19. <i>Jurisdictio portus</i> in <i>Republ. Romana</i> cui commissa.</p> <p>20. <i>Comitis Portus</i> <i>munus</i>.</p> <p>21. <i>Munus Centenarii</i> <i>portus</i>.</p> <p>22. In <i>Regno Suecia</i> <i>Jurisdictio portus</i> est <i>penes Collegium Admiralitatis</i>.</p> <p>23. <i>Quinam</i> <i>Jurisdictioni portus</i> subsint.</p> <p>24. <i>quinam</i> <i>Jurisdictioni portus</i> termini.</p> <p>25. <i>Cognitio Delicti</i> in <i>mari</i> commisi ad quem pertineat.</p> |
|--|---|

**D**ominium est Jus, quo quis de re sua pro arbitrio nomine suo disponere potest. l. 21. C. Mandat. Novell. 22. c. 2. 1. Struv. Ex. XI. th. 4. Proprietas enim est formalis Domini ratio. l. 7. C. d. question. l. 69. ff. d. Usufr. ita, ut sine proprietate nullum verum Dominium consistere possit.

Hoc Dominium, actuale scilicet seu in actu secundo, ex naturali possessione capisse dicit Nerva in leg. 1. §. 1. d. A. vel A. P. Naturalis hæc possessio est, quando quis corpore vel facto aliquo possessionem apprehendit, eique insistit. l. 3. §. 1. & 13. ff. A. vel A. P. l. 1. §. 24. ff. d. vi & vi armata. Ut in contrarium plerumq; Civilis est, quando animo Domini possumus eamque retinemus cit. leg. 3. §. 1. & 13. 2. 3. 4.

Hæc possessiones autem tempore Adami, statim post translatum in eum à DEO totius universi Dominium, sensim, neq; 5. enim



enim totum orbem simul occupare poterat, coeperunt. Nec eo minus in omnes res Dominium ipse acquisivit, quamvis omnes res actualiter non possederit, quod actu possessionem omnium rerum capessere, easque ad usum suum adplicare vel noluerit, vel non potuerit. Non aliter, ac ille qui animo Domini unum conclave palatii intravit, totum occupasse iudicatur. *l. 3. §. 1. ff. d. Acquir. Possess. Puffendorff. Elem. Jurispr. Univers. lib. 1. Definit. 5. §. 16.* Nam prout res indigentis hominum sufficiebant, ita quoque vel priores vel posteriores occupationi fuere obnoxia. Fungibiles & quæ his similes, quarum usus in abusu consistit, adeoque nisi propriae fiant, utui non sunt, viam occupationibus stravere, quod enim harum rerum quisque sic arripuerat, id ei eripere alter, nisi per injuriam non poterat. *Grotius d. J. B. & P. lib. 1. c. 2. n. 2.* Post, multiplicato genere humano, ob exquisitius videndi genus electum, certa quibuslibet facta assignatione, etiam ipsis rebus immobilibus, fundis, agris &c. termini positi fuere.

6. Neque tamen antequam rebus istis termini positi communionem aliquam fuisse, à qua postmodum, distinctione Dominiorum accedente, recessum est, credimus. Cum id nec Poetarum nec Historicorum quorundam auctoritates evincant, utpote quæ vel fabulis innituntur, vel commoda explanatione dilui possunt. Nec quoque nos ut talem Communionem asseramus, adducet. *l. 5. ff. d. J. & J. §. XI. Inst. d. R. D. l. 1. pr. ff. d. A. R. D.* & si qui alii textus sunt, in quibus Distinctio Dominiorum juri Gentium adscribitur.
7. I. quia textibus juris Civilis, quid juris Naturæ vel Gentium sit, firmiter probari non potest, nec etiã magis admittendi sunt, quam illi, qui de partu vel septimestri vel octimestri quid disponunt, vel etiam jus Naturæ in bruta cadere dicunt. II. Illis opponimus *§. 1. Inst. d. Oblig. ex delicto.* ubi furta jure Naturæ prohibita dicuntur; si enim hoc, sequitur, quod & à natura sit alioquod Dominium.



minium, cum furtum tantum rei alienæ fiat. III. quia non sequitur, Distinctio Dominiorum in jure Justiniano juri Gentium adscribitur E. Naturale non est, 1. quia jus Gentium 8. loepe jus Naturæ significat. *J. XI. Inst. d. R. D.* 2. quia alteram speciem juris Gentium, Primævum scilicet jus significare potest. 3. quia potest ab approbatione & meliori reformatione, quam à jure Gentium habet eidem adscribi, cum tamen à Naturæ jure inventa sit, quod in jure nostro non est infrequens. *vid. Franzkius Exercit. 1. quest. 6.*

Quo tamen & nostram fulciamus sententiam, nullam 9. fuisse Communionem statuentes. Eam sequentibus corroboramus argumentis. I. Quia ad nullam Communionis veram speciem, pristina illa, quam vulgo prætendunt, referri potest communio. Dupliciter autem res Communis esse potest vel ita, ut proprietas apud plures pro indiviso sit, usus autem singulis 10. communis, ut forum theatrum: vel etiam ita, ut proprietas plane nullius sit, usus autem promiscuus, ut aër. Non priori modo communio fuit, quia Adamo & Evæ uni hominum pari, totius universi Dominium traditum: nec ulla ratio svadet, cur non Adamo ut Individuo, sed ut speciei generis humani, Dominium traditum asseramus, cum à proprietate vocum facile non sit recedendum. Nec ad secundam Communionis speciem verius referri poterit, quia utique non nudus usus sed Dominium verum translatum esse, ipsa formula traditionis. *Genes. 1. vs. 28. & cap. 9. vs. 2.* sufficienter indicat, & si hoc factum non fuisset, inconvenientissime postmodum orta Distinctione Dominiorum, sibi homines res appropriassent.

II. Cum quarundum rerum usus in abusu consistat, re autem abuti, nemo nisi Dominus possit, nec tamen quod quisque sic arripuerat, id ei eripere alter, nisi per injuriam, non posset, fatente ipso met *Grotio d. J. B. & P. lib. 2. c. 2. n. 2.* quomodo quis



vel rebus fungibilibus uti, vel etiam reliquos sine Domini jure excludere potuit ?

III. Quia statim in filiis Adami, Caino & Abele Distinctio Dominorum apparuit, dum hic agrum coluit, hic pecora possedit, & quilibet horum de PROPRIO, DEO sacrificavit. *Genes. 4. vs. 2. & 3.* Plures rationes si quis desiderat magno numero eas inveniet apud *Dn. Franzkium p.m.d. Ex. 1. quest. 6. Dn. Struv. Ex. 1. aph. 1. Synt. Jur. Feudal. Dn. Strauch. in Diss. d. Impio Maris c. 1. Dn. Ziegler in Not. ad Grot. lib. 1. c. 2. n. 2. Dn. Puffendorff. in Element. Jurisp. univers. lib. 1. Defin. 5. §. 12. & seq. Dn. Bæcler. ad Grot. lib. 2. cap. 1. pag. 38.*

Ut vero redeamus unde digressi sumus; Diximus hactenus occupationem fungibilium, excepisse occupationem immobiliū, propter insufficientiam & usum commodiorem: nihilominus tamen & post occupata immobilia, nonnullæ res velut ex causa derelicti & ratione certi usus, vacuæ mansere, vel, quod tum divisionem facile non admiserint, vel, quod natura ita comparatæ fuerint, ut uno usurpante etiam alteri sufficientem potuerint præbere usum; quales sunt, mare, aqua profluens, litora &c. Nec tamen obstat quo minus etiam tales res respectu illius usus, quo ab initio aliquando liberæ à proprietate manserunt, postea occupari, & proprietati obnoxia fieri potuerint, quoniam Dominium totius orbis & quicquid in eo continetur, Adamo & ab hoc posteris traditum est.

Et hinc origo rerum, quæ in jure nostro Communes dicuntur, repetenda venit, quæ sunt quarum usus promiscuus proprietatis vero nullius est. *§. 1. Inst. d. Rer. Divis.* Et quidem Communes dicuntur, non exclusive ad proprietatem: sed quia usum quendam præstant qui promiscuus est, & bestiis æque ac hominibus communis. In nullius autem Dominio sunt, non quasi in primæva Communionem perstiterint, sed  
quia



quia natura sua in proprietatem describi non potuerint, adeo, ut omnibus animalibus manserint Communes ad usum necessarium. *Dn. Strauch. dissert. Justin. 6. aph. 2.* Tales res communes sunt aër, aqua profluens, mare & per hoc litora maris *§. 1. Inst. d. R. D.* An ergo & Portus erunt res communes? videtur quod sic, quia æque maris particula portus est. *Marquard. d. Jure Mercator. lib. 1. cap. 17. n. 14.* quam litus, quod propterea inter res communes refertur. Verum *in l. 5. §. 1. ff. d. R. D. & §. 2. Inst. eod.* Portus rebus publicis accensentur, quæ sunt, cujus proprietas est alicujus populi, usus vero promiscuo. <sup>12.</sup> Idq; propterea quia Portus jam occupati, & in Principis vel populi Dominio sunt: si enim occupati non essent, cuilibet in iis ædificare permissum esset, quod cum sine incommodo populorum fieri non possit, effectus, ex quibus æstimantur res communes, in portibus non esse admittendos, placuit, ut propterea publicis rebus adnumerentur. *Bachov. ad §. 2. Inst. d. R. D. Ludovell. ad cit. §. 2. Item Voet. ibid.* Atque hæc quidem circa portus quoad ipsorum Dominium, Jure Romano obtinent.

Hodie, vero Principes ad augendo eorum fisco, qui præcipuum sustentaculum dignitatis est *arg. l. 5. C. ad Leg. Jul. Majestat.* <sup>13.</sup> Itemque quo publicis necessitatibus subveniant, truculentas hostium incursiones avertant, totamque Rempublicam, in statu tranquillo conservent, Res has Communes & Publicas, supra descripta, Regalium Constitutione, sibi met fere appropriarunt.

Quod, jure an injuria Principes fecerint, non sine dubio <sup>14.</sup> quæritur? Nos optimo jure res illas ad se Principes traxisse, constanter asseveramus: quia hoc ipso nemini damnum intulere, nec magis in reliquos injuriosi fuere, quam illi, qui res nullius occuparunt: nam res hæc, quia communes h. e. in nullius



lius adhuc Dominio fuere, libere occupari potuerant. Quin imo, hæ ipsæ res, adhuc quasi communes remanserunt, nam quamvis iis tantum utantur Principes, reditusque ex illis suos faciant, hos tamen, dum vel ad conservandam Majestatem, vel ad salutem Reipubl. promovendam, impendunt, aliorum potius causam agere videntur; quia aliàs alia contributione, sumptus istos publicos facere deberent ii, qui sibi res Communes ereptas esse conqueruntur. Nec obstat quod jura Naturalia sint immutabilia. §. XI. *Inst. d. j. N. G. & C.* hæc autem jure Naturali Communia sint §. I. *Inst. d. R. D.* adhibita enim distinctione juris Naturalis qua in Permissivum & Præceptivum dividitur, hæc sufficienter resolvuntur. vid. quæ his convenientia habet *Grotius de j. b. & p. lib. 2. cap. 2. n. 5.*

14. Concludimus ergo Ratione Domini, Portus secundum jus Romanum ad Publicas res referri; Posterioribus autem temporibus, maximè quoad jura inter Regalia esse relatos. *2. Feud. 56.*

15. *Jam ad secundum hujus Capitis Membrum, De Portus jurisdictione.* Jurisdictione in genere est Potestas adjudicandi causas ad judicia spectantes *Struve Syntagm. jur. Civil. Ex. 4. th. 49.*

16. Hæc potestas, uti semper ab eo penes quem τὸ κύριον in Republica dependet, ita & hic Ejus erit Portus jurisdictione, cujus est Portus Dominium. Nam sicuti leges ferre, latas interpretari, Majestatis est, *l. 1. l. final. C. d. LL.* Sic quoque secundum illas jus ducere, Ejus erit: quia omnis potestas Legum Principem respicit. *d. l. fin. C. d. LL.* & alias frustra latæ essent leges, nisi qui eas tulit, haberet potestatem exequendi & in delinquentes animadvertendi, ut ait *Jacobus VI. Rex Angliæ lib. 2. Institution. Regiæ.*

17. Ast quia nec è re est Reipubl. nec è Dignitate Principis ipsum à majoribus Reip. negotiis evocatum, levibus privatorum litibus implicari. *l. 32. pr. C. d. Appell. & Consultat. ne quando*

do



do similem cum Claudio Imperatore fortunam experiri ne-  
cesse habeat, quem è Tribunali descendente[m] Causidici non  
solum voce revocabant, sed & lacinia togæ retenta, interdum  
pede apprehenso retinebant. *Svetonius in vita Imper. Claudij*  
*c. 15,* Optime hæc jurisdictioni Potestas quibusdam juris pe-  
ritis à Majestate committitur *Sutholt. Diss. d. Jurisdic. aph. 92.*  
Et quidem, prout suæ Reipubl. consultum Princeps judicabit,  
ac vel uni vel collegio integro omnem vel certarum tantum  
causarum, hanc juris dicendi concedet potestatem.

In Republ. Romana Jurisdictio Portus Ostiensis fuit pe-<sup>19.</sup>  
nes Comitem Portus & Centenarium Portus, seu Limenar-  
cham. Comitum Portus, qui Præfecto Vigilum suberat, munus  
erat, prospicere, ne cui injuria in portu inferatur, tum curam  
mercium Romam vehendarum habebat, horrea portus, in<sup>20.</sup>  
quæ advectum frumentum condebatur, curabat, & ut Sacca-  
rii seu Bajuli soli, merces in portum vectas, justo pretio com-  
portent, providebat. De quo Comite Portus ejusque offi-  
cio vid. plura ap. *Cassiodorum lib. 7. formul. 23. l. 1. Cod. Theodos.*  
*d. Saccar. port. Rom. l. 1. C. Th. de Patron. horreo port. Panciroll. in*  
*Comment. in Notitiam Imp. Occident. d. Comite Portus. c. 9.*

Centenarius Portus erat, qui cum 100. plus minus mili-<sup>21.</sup>  
tibus portum tuebatur. Hunc *Justinus Paulus in l. 4. ff. d. Fugitiv.*  
*Itemq. l. 18. §. 10. ff. d. Muneribus.* Limenarcham vocat, quasi  
Portus Præfectum. à Cassiodoro *lib. 7. varia.* Portus Vicarius  
dicitur: Hujus munus, prout *Idem Pancirollus in Comm. in No-*  
*tit. Imp. Occid. c. 18. & de Magistr. Municip. c. 18.* describit, fuit;  
lites peregrinorum & Civium ibidem dirimere, & latrones  
ac delinquentes detinere. *vid. cit. l. 4. ff. d. fugitiv. ibiq. Godofr.*  
*in Not. margin.*

In Regno Sveciæ & alibi jurisdictioni Portuum est penes<sup>22.</sup>  
autoritate Publica constitutum Collegium Admiralitatis, ut-  
pote quod, teste *Loccenio d. jur. Maritimo lib. 2. c. 2. n. 2. & seqq.*  
C nego-



negotia quæ ad classis publicæ extructionem, armaturam & expeditionem spectant, una cum Navalium & Portuum munitione & Conservatione tractat, & paulo post addit *citat. Loc. cen.* Habet idem Collegium suum forum, ac Tribunal, quo res ad justitiam & disciplinam navalem facientes, devolvuntur. Alibi aliter fortean jurisdictio Portus exercetur, quod ulterius deducere non vacat: cum Nobis per superius tradita sufficiat, posse Principem pro necessitate suæ Reipubl. quibus & quomodo velit jurisditionem exercendam committere. In quos autem illi quibus jurisdictio Portuum commissa, jurisditionem suam exercere possint, & qui termini jurisditionis Portus sint, quæritur?

Quod primum attinet, dicimus omnes illos jurisditioni  
23. Portus subjectos esse qui in illo morantur, sive sint subditi illius Principis, sive non, sed Exteri, quia hi, hoc ipso quod Portum ingressi sunt, subditi temporarii fiunt; quoniam ad gubernationem populi moraliter necessarium est, ut qui ei vel ad tempus se admiscant, quod fit intrando territorium, ii conformes se reddant ejus populi institutis. *Grotius d. l. 6. & p. lib. 2. c. 1. n. 5.* Ita ut non tantum personæ subditi temporarii sint, sed & bona in portum alienum advecta, alienæ submittantur potestati. Ex quo principio omnino probandum venit factum Elisabethæ Reginae Angliæ, quando interposita cautione, à peregrinis mercatoribus pecuniam in portus Anglicanos advectam mutuo sumebat. De quo videatur *Cambden in Annalibus Anglicis sub finem anni 1568.* Itemq; *Dn. Bæcler. in Not. ad Grotium in lib. 1. cap. 1. pag. 118.* Legatos tamen aliunde missos ab hac Jurisdictione excipimus; per ea quæ tradit *Grotius d. lib. 2. cap. 18. n. 4.*

Ad secundum, quod terminos jurisditionis concernit,  
24. hos non terminos portus statuimus, sed ulterius usque ad duorum dierum iter extendimus, ita ut etiam delictum in mari per-



perpetratum ibi puniendum sit, ejus portui locus ille maris  
 ubi delictum commissum propinquior est. *Loccen. d. jur. Ma-*  
*rit. lib. 1. c. 4. num. 6. Rutger. Roland. d. Commissar. part. 4. lib. 2.*  
*n. 19. c. XI. Rodericus Zuarius d. Usu Maris Consil. 1. n. 1. & 3. Quod*  
 si vero Delictum in mari inter duas urbes æqualiter distantes,  
 perpetratum sit, cognitio ejus ad utramque per concursum  
 jurisdictionis pertinebit, quia in confinio delictum commis-  
 sum, quod est commune utriusque Civitatis. *Loccen. cit. loc.*  
*Dn. Carpzov. Pract. Criminal. part. 3. quest. 110. n. 37. Trentlerus*  
*Volum. Disp. 1. Disp. 19. th. 4. ibiq. Bachov.*

## CAPUT III.

### DE JURIBUS PORTUS CIRCA NAVES ADVENIENTES.

#### SUMMARI A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Portus comparantur Portis.                                   | 10. Velorum demissio jam olim<br>innotuit.                                  |
| 2. Portus quo sensu dicatur oc-<br>cupatus.                     | 11. Est duplex.   |
| 3. Prohibitio portus interdum<br>est causa belli.               | 12. Velorum demissio non impor-<br>tat subjectionem.                        |
| 4. Usus portus quis.  | 13. De signis ad securitatem na-<br>vigantium in mari erectis               |
| 5. Hostes a portibus nostris omni<br>jure arcemus.              | 14. Pilote qui dicantur.  |
| 6. Nec minus hostium fœderatos                                  | 15. Noviter adveniens quis sit,<br>unde veniat, in Portu signi-<br>ficabit. |
| 7. Ut & Piratas.  | 16. Importandarum mercium<br>cura habenda.                                  |
| 8. Navis portum ingrediens por-<br>tus Jurisdictioni se subdit. |   |
| 9. Navis portum ingrediens ve-<br>la submittet.                 | C 2   |
|   | 17. Ad-   |



- |   |   |
|---|---|
| <p>17. <i>Adveniens magister Navis Epistola adsertoria instructus sit.</i></p> <p>18. <i>Ob sumptus in securitatem navigationis, &amp; conservationem portus faciendos, &amp; quum est à navigantibus exigere vectigal.</i></p> <p>19. <i>Vectigal quid.</i></p> <p>20. <i>Cui competat jus Vectigalium.</i></p> <p>21. <i>Pœna illorum qui vectigalia rite non instituta extorquent.</i></p> <p>22. <i>Defraudans vectigalia furtum committit.</i></p> <p>23. <i>Jus Vectigalium in Imperio Romano penes quem.</i></p> <p>24. <i>Quarum rerum vectigal exigi debeat ex fine Reip. &amp; stimandum.</i></p> | <p>25. <i>Cavebit Princeps ne nimis dura exigat vectigalia.</i></p> <p>26. <i>Vectigal regulariter in pecunia consistit.</i></p> <p>27. <i>Qualis pecunia præstanda.</i></p> <p>28. <i>Vectigal omnes solvere tenentur nisi sint immunes.</i></p> <p>29. <i>Recensentur personæ à solutione vectigalium immunes.</i></p> <p>30. <i>Recensentur res quarum non solvitur vectigal.</i></p> <p>31. <i>Pœna illorum qui vectigalia defraudant.</i></p> <p>32. <i>Solutio questionis an nauta ex necessitate aliqua in portum devium delatus, ejus loci vectigal solvere teneatur.</i></p> |
|---|---|

**P**ORTUS portis comparari jam superius cap. 1. in fine ex Tholozano lib. 2. d. Republica c. 9. n. 2. & sequent. diximus, illæ enim prout aditum ad civitatem præstant, ita per hos ad ipsam pervenimus regionem, & hinc plurima Portarum jura Portibus etiam competere vix dubium erit, Exemplum ali- quod dedimus in d. cap. I. aliud addere svadet materia, hoc Capite tradenda, jura scil. portuum singularia circa Naves advenientes; ubi magna quoque inter jura Portuum & Portarum apparet convenientia; Una etenim causa est, quæ advenientes & à portu & à porta arcere vel non arcere potest: Usus scil. horum omnium, quantum libertas commerciorum, securitasque publica patitur, communis. Et quamvis occu-  
pati



pari & in Dominio esse Portus, dixerimus supra, hoc tamen 2.  
ultra Imperii & jurisdictionis Dominium extendendum non  
est, cum usus omnibus communis relinquendus sit, *Sixtinus*  
*de Regalib. 2. c. 3. n. 35. Marquard. de Mercat. lib. 1. c. 17. num. 18.*  
non secus ac viæ publicæ, quæ, quamvis in Dominio sint, ni-  
hilominus tamen illarum usus omnibus est promiscuus. *l. 24.*  
*pr. ff. de Damno Infecto. Dn. Strauch. Dissert. de Imp. Mar. c. 8. n. 1.*  
Idque propterea, ne Commerciorum usus, societatis humanæ  
conservandæ gratia inventus, impediatur, aut restringatur,  
quod fieret, communi portuum usu negato. Nam si Com-  
mercia libera esse debeant, utique etiam ea libera sint necesse  
est, sine quibus commode exerceri non possunt, ut sunt na-  
vigatio & portuum usus. *vid. Loccen. d. jur. Marit. lib. 1. c. 3. n. 2.*  
*& seqq.* Hinc iusta quoque bella ob mare clausum, portum 3.  
prohibitum, commercia negata, orta esse, docent exempla  
Megarensium in Athenienses. *Thucid. lib. 1. Diodorus Siculus lib.*  
*12. Bononiensium in Venetos. Carolus Sigon. lib. 20. d. Regno*  
*Italiae.* Castellanis etiam in Americanos has iustas potuisse  
belli esse causas cum *Franc. Victoria de Indis part. 2. n. 2, 3, 4 pu-*  
*tat Grotius d. Mari libero c. 1. & Dn. Marquard. cit. loc. lib. 1. cap.*  
*15. num. 3.*

Appellere itaque & exonerare in portu merces, vel alio 4.  
modo concessio portu uti cuivis licebit, dummodo quis non  
in detrimentum civitatis eo utatur, vel statutis Civitatis vim  
inferat. *arg. l. 1. §. 12 ff. de fluminib. l. 24. princ. ff. de Damno Infecto.*  
Non enim inficias iri potest, hunc portuum usum eoque  
non posse extendi, ut pactis legibusque commercia non re-  
stringi, maria & portus per vectigalia & portoria non coar-  
ctari queant. *Loccen d. tr. lib. 1. cap. 10. per totum.*

Lex enim Civilis & si nihil potest contra Naturæ jus per-  
mittere, aut prohibere, potest tamen libertatem naturalem  
circumscribere & vetare quod naturaliter licebat. *l. 6. ff. d.*





*J. & J. Grotius d. j. b. & p. lib. 2. c. 2. num. 5.* Sic hostes à portibus nostris omni jure arcemus, quos enim jure expellimus, hos quoque jure admittere non tenemur: maxime cum omnium fortissimum jus, Naturæ scil. nobis, hostibus nostris nocendi, etiam in infinitum concedat potestatem. *prout Grotius lib. 3. d. j. 6. & p. sæpius inculcat.*

6. Pari jure etiam hostium nostrorum foederatos à portibus nostris repellimus. Imo & ipsos qui instructis copiis, unde justis timoris & detrimenti, suspicio generari possit, portum ingredi volunt. Nam quamvis jus intrantium, metu illorum, qui illos non admittere volunt, non tollatur, dicente *Grotio d. j. lib. 2. c. 2. n. 13.* attamen nisi metus justus existatur, sufficiensque cautio præstetur, non admittendos esse arbitror. Reipubl. enim incumbit prudenter cavere ne quid detrimenti Resp. capiat, & cum difficilior sit, hostem admissum ejicere, quam non admissum, fugare, melius utique erit rem salvam servare quam post vulneratam causam remedium quarere. *arg. l. 5, C. in quib. Causis Restitut. necess. non est.* Unde etiam in foederibus non raro cautum est, non esse jus appellendi ad portum, plagas, promontoria alterutrius, cum tali numero navium aut armatorum, unde justis timoris & detrimenti suspicio oriri possit, nisi ex permisso ejus, sub cujus ditione loca illa sita sunt, aut nisi tempestatibus aliaque necessitate, delati illuc fuerint. *vid. Induc. Hispan. & Ordin. feder. Belg. Ao. 1609. erectas art. 12. & seqq.*

Piratis Commoditatibus Portuum uti, adeo concedendum non est, ut potius ad pœnam rapiendi sint, qui jam ipso facto ob publicam pacem fractam in Bannum imperiale inciderunt. *Reichs Absch. de Anno. 1559. §. damit dann hinführo* Huc pertinet utile institutum, ut piratis ad portum appellentibus non permittatur istuc vendere bona spoliatorum, nec alias emere, sed nave & bonis istis sub arresto & tuta custodia posi-



positis, reserventur rapta in utilitatem læsorum & eorum, quorum interest, iis restituenda, si sufficientibus documentis probent esse sua. Hujusmodi institutum refert *Loccen. d. Jur. Marit. lib. 2. c. 3. n. 7. Inter Regem Angliæ Henricum & Philippum Burg. in pact. Commerc. c. 16. constitutum esse.* Exceptos tamen hoc loco volumus illos, qui vulgo die *Capers* dicuntur, hi enim nomine Piratarum non veniunt.

Navis ergo Portum ingrediens, cum per hunc ingressum jurisdictionem Portus profiteatur, uti supr. c. 2. assertum, legibus portus convenienter ut agat, necesse erit. Ac proinde, quod fere in omnibus portibus, imprimis qui castellis muniti sunt, receptum est, Demissione velorum, vel tormenti explosione, adventum suum, aliqua quasi salutatione significabit. 8.

De hac velorum submissione vulgo *das Seegelstreichen* notandum, non novum esse inventum sed eandem jam olim innotuisse, quippe de *da Appianus lib. 6. Civilium* testatur ubi Domitii, Ænobarbi & Antonii Prætoriarum naves casu sibi obvia. Itemque probat *Lipsius d. Elect. c. 23.* Est autem duplex: fit enim, vel ita, ut superior pars mali submittatur moxque iterum attrahatur. *Das im Mittel Mast die Oberste Flagge ein wenig herunter gelassen / und bald wieder auffgezogen wird, vel etiam wenn das Top Seegel halb hernieder gelassen und nicht eher bis man einen Canonen schuß weit in der See ist / wieder auffgezogen wird / dafern die Schiffer nicht wollen pro contumacia einen jeden Schuß / der nach ihnen geschiet / mit einem Rosinobel lösen.* *Stypman. d. jure Maritim. p. 5. cap. 1. num. 21.* 9.

Observatur hæc velorum Demissio non tantum à navibus portum intrantibus, sed quoque ab iis, qui castrum præternavigant, vel etiam bellicas vel Regias naves obviam habent. 11.



12. bent. *Marq. lib. 2. c. 5. §. 46.* Neque tamen vela demittere, ullam subjectionem importat, quanquam posteriori modo facta demissio, majorem contestetur reverentiam: nam transeuntes vel appellentes peregrinæ Majestati reverentiam exhibentes, id non in subjectionis sed potius in Reverentiæ & gratitudinis signum faciunt, quod iter sub Principis auspicio consummare licuerit. Sic Regis Sveciæ naves Cronenburgum prætervehentes, vela demittunt, quod tamen in signum subjectionis fieri asserendum non est, ut potius pro benevolentia, salutationis & amicitia indicio, reputandum sit. *Stypman. p. 5. cap. 1. n. 21.*

Et cum hæc, indeterminata imprimis Velorum demissio, sæpe lites excitarit, cum Principes id quod benevolentia tantum signum, adeoque in arbitrio exhibentis situm erat, sibi necessario competere contenderent, imo ex omissione etiam belli causam prætenderent, quale quid accidisse inter Anglos & Belgii foederati Hollandos ubi *daß der Holländische Admiral nicht hat zu erst die Seegel streichen wollen* inter alia belli causam fuisse notat *Stypman. loc. cit.* sub certo pacti modo, si conveniri inter Principes non possit, definiri solet, quod factum est in pactis Regis Sveciæ & Daniæ d. Ao. 1645, art. 5. 14. & 15. *Loccen. d. jur. Marit. lib. 1. c. 4. num. 10. vid. de See-Tractat inter Regem Gallia XIV. & Civitates Hanseat. art. 7. quem Tractatum invenies ap. Marquard. Tom. 2. pag. 31.*

13. Velis demissis, portui appropinquans navis, ne in loca periculosa incidat, diligenter signa erecta, quæ, pro diversitate necessitatis, tonnis albis vel nigris, stipitibus coronatis, anchoris, signoque crucis, denotantur, observabit. De quibus signis eorumque figuris *vid. Stjpm. d. jur. Marit. p. 3. cap. 9. num. 47. & seqq.*

Magistratus interim portuum sedulo curabunt, cum propter inconstantem maris fluxum atque refluxum, mare  
hinc



hinc inde vicissitudines accipiat, quo signa hæc pro condi-  
one temporis ex uno loco in alium transferantur; quod si ta-  
men hoc factum non sit vel etiam ob tempestatem fluctusq;  
signa illa non appareant, illos, quos vulgo Pilotas dicunt, &<sup>14.</sup>  
sunt vel piscatores vel aliæ locorum istorum gnaræ personæ,  
navi, qui eandem per vias tutas ad securam portus stationem,  
adducant, obviam mittent. Pretium quod hisce Pilotis pro  
opera exhibita solvitur, Avaria Communis, Germanice *Roth-*  
*manngeld*/ seu *Pilotengeld* dicitur; & opponitur Avaria  
grossæ sive grandi, quæ est Contributio propter merces tem-  
pestate urgente levandæ navis causa in mare jactas. *l. 2. ff. ad leg.*  
*Rhod. d. jactu. ibiq; Comment.* Hoc Pretium, si infra sex marcas  
flandricas fuerit, à magistro navis solvitur, si vero summa  
sex flandricas marcas excedat, Grossæ Avaria *der Haberey*  
adscribitur. *Marquard. lib. 3. c. 4. n. 21.*

Deducta jam Nave in portum, Naucerus, unde veniat, <sup>15.</sup>  
quo tendat quidve vehat, deponet. *arg. l. unic. C. d. Littor. &*  
*Itiner. custod. lib. 12.* Nam cum Reipubl. intersit scire, qui,  
quales & quot advenæ in Republica vivant, insuper etiam qui  
eam transeant, & quo tendant, an ad amicos, an ad hostes, &  
quid ibi negotii gerendi habeant: vix laudem vigilantia me-  
rebit is, qui hæc ex advenientibus quærere negligit: quippe &  
nupera exempla prostant, promiscuas & securas peregrino-  
rum admisiones, sæpius stratagematum, quibus insignes ur-  
bes & regiones occupatæ sunt, occasionem dedisse.

Maxime autem curam habet Princeps rerum importan-  
darum, & in eas diligentem instituet inquisitionem, ne ex his <sup>16.</sup>  
Resp. sua detrimentum sentiat. Quæ vero res importari de-  
beant vel non, id ex fine suæ Reipubl. prudenter æstimabit:  
non enim omnibus omnia conveniunt. Ulterius hic digre-  
di, instituti nostri non est, nec enim illa præcise ad jura Por-  
tuum faciunt: breviter tamen de nostra Germania putamus

D

opti-





optime Ei posse consuli, si exoticus vestium luxus, haecenus cum summa Seculi nostri pernicie, regionibus nostris importatus, ulterius non admitteretur, vel etiam, si ad instar nuperi Edicti Batavici impositis gravissimis vectigalium oneribus, delicatuli ab hisce luxui inservientibus rebus, emendis, deterriti, sponte abstinerent. Quod ni fiat, metuendum, ne attenuatis jam non privatorum, sed & Provinciarum facultatibus, omne Germanorum aurum & argentum in linum & lanam degeneret, quod jam suo tempore ominabatur *Besoldus de arario c. 4. §. 10. n. 1.*

17. Insuper præter Explicatam denunciationem Quod Genus? Unde Domo? Pacemne, ferat an arma? passim hodie necesse est, ut magister Navis à sui loci magistratu literis Commeatus, aut passus maritimi, Epistolaque adsertoria vulgo certificationem dictam, quæ omnium mercium accuratam, continet consignationem, instructus sit, quo hac Portui Præfecto exhibita, ac speciali professione, visitatione ac Excussione subsequuta, Idem Præfectus exinde certior fiat, quæ & quales importentur merces, ac ne aliud pro alio profiteatur, solventorum vectigalium vera ratio haberi possit *l. 16. ff. d. Public. & Vectig. Loccen. lib. 1. c. 7. n. 5. Marquard. lib. 2. c. 4. n. 46.*

18. Multifariam esse Reip. Curam circa Portum hinc inde est dictum. Ipsius enim est securitatem transitus, Stationis & Navigationis præstare, Portus, si naturales non sunt, extruere, extructos reparare, omnes diligenter purgare, ne arenis ab æstu maris injectis, expleantur, hocque Usus Portuum impediatur: quo pertinet Lex Batavorum, ne quis in portu exoneret navem saburra onustam, vid. latius *das Hollendische See Recht pag. mibi 156.* Hæc & similia cum sine maximis sumptibus non expediantur, justum est pro recepto hoc onere æquum vectigal exigere à navigantibus securitate commodisque Portuum fruentibus. *Grotius lib. 2. cap. 3. num. 14.*

Vecti-



Vectigal s. respectu est fructus maritimi Imperii pro securitate i<sup>9</sup>.  
transitus & onere tuendæ navigationis, personis vel mercibus  
impositus. *Dn. Strauch. d. Imp. Maris c. 7. n. 1.* Maritimi Imperii<sup>20.</sup>  
dixi esse fructus, nec enim ab alio quam qui Imperium exer-  
cet, & cui ab ipso concessum est, vectigalium fructus percipi  
possunt. Hic enim tantum vectigalia nova constituere, præ-  
cedentia reformare, & his vel aliquid addere vel deminuere  
potest. *l. 10. ff. d. Publican. & Vectigal. l. 3. C. Vectigal. Nova  
Instit. non posse.* Quod adeo verum est, ut extorquentes nova<sup>21.</sup>  
vectigalia à Majestate non instituta, poena legis Julix de Vi pu-  
blica teneantur. *l. fin. ff. ad Leg. Jul. d. Vi public. & per l. 9. §.  
5. ff. de Public. & Vectig.* extortum cum poena tripli restituere  
debeant, & amplius extra ordinem adhuc plectendi sint,  
alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor Disciplinæ  
publicæ postulat. Imo nec ad id solvendum in Conscientia  
quisquam obligatur; cum alias vectigalia legitime constitu-<sup>22.</sup>  
ta defraudans, non minus coram DEO, quoad exoneratio-  
nem conscientix suæ ad solutionem teneatur, quam si rem a-  
lienam abstulisset. *Zæsius ad tit. ff. d. Publ. & Vectigal. n. 20. Ro-  
senthal, d. feudis conclus. 5. c. 43. n. 2. & imprimis Covarruvias ad  
cap. Peccatum part. 2. §. 5. per totum.* In Imperio Germanico o-  
lim ad Imperatoris Reservata jura vectigalium spectabant.<sup>23.</sup>  
*R. N. zu Regensburg de Ao. 1576. §. dadurch dan 127 & seqq.*  
Hodie non aliter quam cum consensu Electorum (&  
quidem novissimè singulorum: Capit. Leopold. art. 21.) Impe-  
rator vel nova instituere vel instituta augere potest. *Capitulat.  
Ferdinandi III. art. 20. dict. Capit. Leopoldi art. 20. & 24. Instrum.  
Pacis Osnabr. §. 9. ibi: de Consensu Elector. Burguldens. ad d.  
Instr. Pac. part. 3. Discurs. 12. n. 4.* Immunitates quoque à vecti-  
galibus Principum non debere temere ab Imperatore conce-  
di, Principes statusque Ao. 1658. ad Capitul, Leopoldi art. 22.  
& 24. monuerunt. daß in den Zollsachen keine Exemptiones,





Befehl und Privilegia zu Præjudiz Ihrer der Chur Fürsten/  
Fürsten und Stände Zollgerechtigkeiten/ sie seyn zu Wasser  
oder zu Lande zu gestatten. Eitel Friedrich von Heerden/  
in der Grundfest des H. R. R. p 303. arg. d. §. 21. c. Leopold.

24. His præmissis quarum rerum Vectigal exigat, vi-  
dendum. Et quidem hic ante omnia observandum, nativa  
Reipubl. bona quæ ab exteris desiderantur, nec aliunde peti  
queunt, vectigalibus commode onerari posse. Quod si vero  
bona quædam, ab aliis etiam populis haberi possunt, tantum  
abest, iis exportandis gravius aliquod vectigal esse imponen-  
dum, ut potius opera sit danda, quo concessa vectigalium im-  
munitate, hoc genus commercii ad se, quam maxime attra-  
hatur, quo plurima exportentur. Nam hac ratione ab iis qui  
exportant, solent multa invehiri, quo civium Divitiæ crescere  
possunt; qui exinde aptissimi redduntur, variis aliis tributo-  
rum generibus publicam egestatem necessitatemque suble-  
vare.

Porro circa rerum importandarum vectigal itidem pru-  
denter judicabit Princeps, an sua Respubl. iis rebus carere  
possit, an non, sin prius, graviora utique vectigalia iis impo-  
nere potest, si non, laborandum qua fieri potest sedulitate, ut  
earum rerum vectigal minuatur. Ab informi vero & rudi  
materia, quæ à Peregrinis advehitur, itidem amoveatur aut  
tamen minuatur portorium, quoniam Cives ex rudi materia,  
arte formata, plerumque multo majorem capere possunt uti-  
litatem, quam illi qui materiam istam vendiderunt. E con-  
trario augendum vectigal rudis materiæ exportandæ, augen-  
dum quoque vectigal fabriliū, lanificorum, & omnium o-  
pificiorum, quæ aliunde advehuntur: ut videlicet Cives ipsi  
eadem facere consuecant, & opifices qui ea commode tra-  
ctare possunt, alliciantur. *vid. Arnisei Doctrina Politica lib. 2.  
cap. 5.*



cap. 5. *Boxhorn. Inst. Politic. lib. 1. c. 10. §. 18. & in explanatione  
hujus Sphi, tum ipsum Autorem, tum Hornium.*

Cæterum cum omne vectigal, licet tenue, odiosum sit, 25.  
Prudentis Principis erit, videre, ut id ita rebus accommo-  
det ne sentiat multum populus sibi quid detrahi, mollia  
quantum licet ex necessitate imponet tributis nomina, quo  
facilius ea privati admittant: iisque regulis conformem se  
Princeps gerat, quas lenire necessariorum tributorum invidiam,  
docet *Forstnerus ad lib. 4. Taciti circa finem p. mibi 401. & seqq.* In  
qua arte, ut & in inveniendis ingeniosissimis vectigalibus,  
quorum Chartæ sigillatæ vectigal refero, quam maxime Ba-  
tavi cum Italis excellunt. *Boxhorn. cit. loc. ibiq. Horn in Notis.*

Utrum autem vectigal in pecunia consistere, an vero 26.  
ex ipsis rebus seu speciebus pars quædam præstari debeat, qua-  
ritur? Et quidem, in pecunia consistere vectigal præter con-  
suetudinem ubivis fere receptam, quæ in vectigalibus utram-  
que facit paginam *l. 4. §. 2. ff. d. publ. & Vectig.* vult finis insti-  
tutorum vectigalium, securitatis commerciorum præstatio, qui  
finis, non tam variis mercium generibus, quam parata obti-  
netur pecunia. facit huc *l. 5. C. d. Vectigal.* ubi pro rebus vecti-  
gal solvi debere dicitur, aliud igitur erit res pro qua solvitur  
& res quæ solvitur. *Sixtinus d. Regalib. lib. 2. c. 6. n. 80.*

Cum injuria itaque conjunctam putamus eam vectiga-  
lium exactionem, cum in locis quibusdam mercatores vel  
Nautæ cerevisiam vel vinum vehentes, ipsa aperire dolia &  
vini vel cerevisiæ partem præstare coguntur. Sequitur enim  
hanc evacuationem corruptio potus, dum vasis plerumque  
impuris adhibitis, nautæ dolia replere soleant. Accedit quod  
hoc ipso Nautis ad fraudes, furtaque facienda occasio detur.  
*Marquard. d. Jure Mercat. lib. 2. c. 3. n. 52. Sixtinus d. l.*

Qualis autem pecunia solvenda sit, an aurea, an argen- 27  
tea, an vero currens, ex consuetudine inducta judicandum est.

D 3

Posse





Posse enim Principem optimæ sortis pecuniam vulgo *Bancken Geld* loco vectigalis exigere, dubium non est.

Rite Constitutum vectigal omnes præstare tenentur. 28. l. 5. §. 7. C. de Vectigal. nisi vel ipsæ personæ vel ipsæ res expresso immunitatis privilegio gaudeant. Videbit tamen Princeps, ne temere & sine causa ejuscemodi immunitatis privilegia concedat, & hoc ipso aliorum contribuentium causas eo duriores reddat. Multum enim facit ad leniendum odium vectigalium, si omnes Cives ex æquo illud perferant.

Personæ autem à Vectigalibus immunes sunt 1. Fiscus. 29. l. 9. §. 8. ff. de public. & Vectigal. 2. Præsides Provinciarum, si res ad suos usus advehi mandaverint. l. 4. §. 1. ff. d. t. 3. Hodierno Jure Consiliarii, alique ad consilium Imperii Deputati, & horum familia. R. N. d. Ao. 1500. §. Item sollte alle so in des Reichs Regiment gehören aller Tax/Zöll und Ungeld frey seyn. 4. Legati l. 8. C. d. Vectigal. in quibus tamen immunitas ita restringitur, ut immunes quidem sint pro speciebus exportandis, pro iis vero quas non sui usus gratia important, solvere teneantur. Rationem diversitatis hujus legis dicit esse *Dn. Brunne man. in Comment. ad d. l. 8. C.* Liberalitatem Principis, & quod antequam legationem expedierint, non constet, an Legati sint, & qua de causa venerint. Privilegiatis quoque personis accedunt 5. Ecclesiastici, & ipsæ Ecclesiæ in rebus propriis, in quibus nulla exercetur negotiatio. l. 5. C. d. SS. Eccles. c. quanquam. 4. d. Censibus in 6to 6. Hospitalia. Roland. d. Commiss. p. 4. l. 2. c. 5. n. 36. 7. Professores, Doctores, & Studiosi, quadruplici pœna præter dati restitutionem in publicanos constituta, qui aliquid his eripiunt; gaudent enim isti Clericorum privilegiis qui omnino immunes sunt à talibus impositionibus. arg. d. l. 5. ubi nihil extraordinarium super indictum c. de S. S. E. cap. 4. X. de cens. c. 1. X. de immunitat. Eccles. Comentatores ad Authent. Habita C. ne filius pro Patre.

Præ.



Præterea ultra personas enumeratas etiam res quædam 30.  
à præstatione vectigalium immunes habentur, cuiusmodi  
sunt 1. Res Exercitui paratæ *l. 9. §. 7. ff. d. Publican. & Vectig.*  
Ratio est, ut hac immunitatis illecebra ad Commeatum Exer-  
citui præstandum, adeoq; publicum bonum promovendum,  
excitentur mercatores 2. Res quæ ruris exercendi gratia  
vehuntur, propter singularem Agriculturæ favorem, *l. 5. C. de  
Vectigal.* ob quem nec pignoris loco tradi vel accipi possunt  
reg. *l. 7. 8. & Auth. Agricultores C. quæ Res pignor. oblig. poss. vid.*  
*Preusch Land Recht lib. 4. tit. 5. art. 2. §. 3.* Deniq; 3. rebus  
immunibus adscribuntur res, pro quibus nunquam ante-  
hac præstitum vectigal. *l. 9. §. 9. de Publ.* in vectigalibus enim  
consuetudo spectanda est. *d. l. 4. §. 2. ff. d. t.*

Et hæc quidem se ita jure Communi habent, alicubi ta-  
men ob quotidianam fere in conservandis pontibus & flumi-  
num ripis contra vim & impetum aquarum, difficultatem,  
hæc immunitatis privilegia cessare posse, & omnes promiscue  
vectigal solvere tenere, nec juri nec æquitati adversari arbitror.

Visis jam Personis quæ ad præstandum vectigal tenen- 31:  
tur, & qui ab hoc immunes sunt, restat ut de poenis illorum,  
qui vectigalia defraudant, brevibus agamus. Defraudantur  
autem vectigalia vel ab ipsis publicanis, pecuniam in privatos  
convertentes usus, qui legis Juliæ de Residuis rei sunt. *l. 2. ad  
leg. jul. Peculatus.* vel etiam à prætervehentibus, à præstatio-  
ne vectigalium se subducentes, quorum poena est amissio rei  
occultatæ & non professæ, hæc enim in Commissum cadit.  
*l. 18. princ. 14. l. 16. §. 3. ff. d. Public.* quamvis postea vectigal solve-  
re paratus sit. *l. 16. §. 3. & 12. ff. eod.* Coronidis loco quæri-  
tur. An Nauta errore viæ, metu & alia necessitate impulsus, in 32:  
devium deferatur portum, ejus loci vectigal solvere teneatur?  
Et cum vectigal non solum mercibus, sed & propter securas  
stationes, Navigationes & transitus imprimis impositum sit;  
non



non quidem omne vectigal, ast tamen aliquid pro secura  
 statione, quod alibi nomine pecuniæ Anchoragiæ venit, & ga-  
 bellæ illi quam *Marktgeld* seu *Standgeld* vocamus, affinis est,  
 præstare debere, autumo, nisi consuetudine aliud receptum  
 fuerit *Dn. Brunnem. ad l. 6. C. d. Vectigal. Dn. Strauch. d. Imp.*  
*maris. c. 7. §. 2. Stypman. d. jur. Maritim. p. 5. c. 2. num. 16. Dn. Bæ-*  
*cler. in Grotii lib. 2. cap. 2. §. 15. pag. 81.*

## CAPUT IV.

### DE SPECIALIBUS PORTUUM JURIBUS CIRCA NAVES IN PORTU SUBSISTENTES.

#### SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Nemo rem suam vendere cogitur, regula est.              | <i>Spalula simpliciter concessa insit vendendi necessitas?</i>              |
| 2. Quæ ob bonum publicum consequendum exceptiones patitur. | 10. Jus Stapule differt à Jure Nundinarum.                                  |
| 3. Exceptiones recensentur.                                | 11. à Jure fori.  |
| 4. Quibus etiam Jus Stapule annumeratur.                   | 12. à Jure Emporii.   |
| 5. Vox Stapula unde dicta.                                 | 13. à Jure Geranii.   |
| 6. Stapule Jus quid.                                       | 14. Geranium unde dictum.   |
| 7. Jus Stapule habet tres gradus.                          | 15. Geranium quid.  |
| 8. Jus Stapule quomodo acquiritur.                         | 16. Jus Geranii quid.   |
| 9. Discussio questionis, An Juri                           | 17. Ad declinandum locum qui Jus Stapule habet, nova via querenda non sunt. |
|  | 18. Jus Protimiseos naves in portu subsistentes afficit.                    |
|  | 19. Jus   |



- |   |   |
|---|---|
| 19. Jus protimiseos quid.   | 31. A quibus nulla privilegia<br>prestent excusationem.   |
| 20. Justitia Juris protimiseos<br>asseritur.  | 32. Si scil. ad expeditionem Prin-<br>cipis aut ad alias causas publi-<br>cas exigantur.        |
| 21. Et in portu Principibus com-<br>petere probatur.  | 33. Alioquin plurimi immunes.   |
| 22. Rex Sveciae in suis portubus<br>habet hoc Jus praelationis.                                       | 34. Peregrinorum naves itidem<br>ad angarias obligantur.  |
| 23. Quo etiam Sereniss. Elector.<br>Brandenburgicus in portubus<br>Prusicis fruitur.                  | 35. Queritur, ad quemnam<br>pertineat Damnum navis<br>quod in prestandis angariis ac-<br>cepit. |
| 24. Queritur, an hoc Jus pra-<br>lationis, secundum regulas<br>communes, per annum & di-<br>em duret? | 36. Repressalia unde dicantur.  |
| 25. Vox Angaria unde dicta.   | 37. Repressalia quid.   |
| 26. Angaria quid.   | 38. Repressalia ex Jure Gentium<br>descendant.  |
| 27. Praestatio Navium species est<br>Angariarum.  | 39. Quando & à quo Repressalia<br>concedantur.  |
| 28. Angarias quis exigere possit.   | 40. Justitia Repressaliarum de-<br>claratur.  |
| 29. Omnes ad prestandas Anga-<br>rias tenentur.   | 41. Repressaliarum Requisita.   |
| 30. Angaria sunt opera patri-<br>moniorum.  |   |

**P**ropter summam commerciorum libertatem, & ne quid  
Domini inviti in re sua, quod naturæ Domini contrari-  
um est, admittant; recepta regula est, Neminem ad rem suam  
vendendam cogi posse. *l. XI. C. d. Contrah. Empt. l. 16. C. de  
Jure Deliber. & l. 9. ff. d. Action. rer. amotar.* At quia sic pri-  
vatis, rebus suis uti convenit, quo imprimis utilitati publicæ  
consulatur, propter eandem consequendam, interdum ab  
hac digredi non est iniquum. Sic *l. Cogitur Dominus ser-  
vum asperius habitum bonis conditionibus vendere. §. 2. In-  
stit.*

E

stit.





*stit. de his qui sunt sui l. alieni jur. 2.* ob favorem libertatis Dominus servum communem, pro parte manumissum, accepto pro sua parte pretio, manumittere debet §. *fin. Inst. d. Donation.*  
3. ob favorem religionis, Domino iter ad sepulchrum alterius vendere injungit, *lex 12. in. fin. princ. ff. d. Relig. & sumpt. funer.* 4. ob Communionem vitandam necessaria interdum est Venditio *l. 13. §. 17. ff. d. Actionib. Empti l. 34. §. 2. C. d. Donationib.* 5. Ob communem necessitatem, famem, annonæq; caritatem, frumentum, aliaque victualia mercatores vendere coguntur. *l. 2. C. ut nemini liceat in Emption. specier. se excusare lib. 10.* Sic quoque 6. propter jus Stapulæ quo Portus  
4. imprimis gaudent, advenientes mercatores bona sua vendere, aut tamen venum exponere coguntur. De quo jure Stapulæ cum Naves in Portu afficiat, ut quædam exponamus, non abs re erit.

5. Vox Stapulæ ab antiquo Germanico **Stapel.** forum, vel **Staffel** gradum significans, originem habet: quod in foro in acervum, velut in gradus, merces cumulatae esse soleant. Et est jus seu potestas sistendi restringendique mercis speciali beneficio certis locis competens, *Loccen. d. jur. Maritim. lib. 1. c. 10. n. 2. & 3.* Habet autem hoc jus Stapulæ tres gradus, aliquando enim plenius jus, quandoque minus plenum, prout summæ Majestati, à qua tantum hoc jus originem habet, nisi immemoriali præscriptione acquisitum.  
6. *lit. arg. l. 2. pr. ff. d. Aqua & aq. plu. arcend. itemque arg. l. 12. C. d. præscript. long. tempor. placuit.* Primus gradus est, quando Princeps mercatoribus certis vel etiam Universitatibus copiam facit, merces suas in certum locum deferendi, & ad commodiorem venditionem conservandi. Secundus est, quando sine necessitate vendendi, advectæ merces deponuntur, & pro his vectigal solvitur. **Daß sie daselbst aufflehen die Wahren außladen / ins Kauffhaus führen / niederlegen**



legen / und darvon die Schuldigkeit zahlen müssen / welche  
nach entrichter Accis überschlagen / in andere Schieff / oder  
auff die Achse geladen / anderswo verführet werden. *Lehman.*  
*in Chronic. Spirens. lib. 4. c. 22. pag. mih. 363.* Tertius gradus  
est, qui ultra mercium depositionem vendendi habet neces-  
sitate. *Stypman. d. jur. Maritim. part. 5. c. 2. n. 7.*

Facilis hinc datur Decisio quæstionis: An huic juri Sta- 9.  
pulae simpliciter concessæ, annexa sit vendendi necessitas?  
Nam quia varias jus Stapulae agnoscit gradus, insuper Privi-  
legium hoc, sit à communi jure recedens, non nisi strictissi-  
mam admittere potest interpretationem, non obstante. *l. 3. ff.*  
*d. Constit. Rrincipi.* Jus Stapulae autem, cum propria vi & si-  
gnificatione solum appulsum, coacervationem & exonerati-  
onem mercium faciendam comprehendat, nullum aliud vin-  
culum aut necessitatem vel vendendi, vel simile insuper ha-  
bens, non nisi per latissimam interpretationem generali juris  
Stapulae concessioni, necessitas vendendi inerit: quam quia  
non admittit, non quoque necessitatem vendendi generalis  
concessio comprehendet. *Marquard. d. jur. Mercator. lib. 2.*  
*c. 6. n. 33. Stypman. d. jure Maritim. part. 5. ap. 2. n. 9.*

Quemadmodum igitur Jus Stapulae idem semper non  
est, ob confusionem vitandam, hi gradus à se invicem distin-  
guendi sunt, uti non minus, qualiter hoc jus Stapulae à juribus  
ipsi affinibus, qualia sunt jura Nundinarum, Emporii, Fori,  
Geranii, differat, notandum est.

Differt autem jus Stapulae 1. à jure Nundinarum, hoc e-  
nim nec jus sistendi nec vendendi involvit, sed commodam 10.  
vendendi & iterum avehendi mercatoribus relinquit liber-  
tatem, & tantum ad certum tempus nundinarum scil. durat.  
*Marq. lib. 2. c. 6. n. 36. 61.* 2. à jure fori boni *Markt. Recht* quod  
ipso Nundinarum jure minus est. *Stipman. part. 5. c. 2. n. 9.* 11  
3. à jure Emporii in hoc potissimum consistens, quod in ejus-  
cemo. 12.

E 2

cemo. 12.





- cemodi Civitatibus jure Emporii fruentibus, Exteri cum exteris negotiari non possint, sed tantum cum Civibus *vid.*
13. *Marq. d. jur. Mercat. lib. 2. c. 6. num. 8. 4.* Differt jus Stapulæ à jure Geranii *von der Krahn. Berechtigleit.* Geranium dicitur à Græco *γεράνιον* quod rostrum Gravis significat à formæ quadam similitudine, quod axem quasi rostrum gravis protendit. Et est Tympanum versatile quo circumacto in exoneratione navis vasta onera, graves ac ponderosæ merces, sustolluntur & in terram demittuntur. *vid. Vitruvius d. Architectur. lib. 10. cap. 14.* Jus autem Geranii est facultas ejusmodi geranium habendi: Seu est jus autoritate Principis ad evitandas fraudes navigantium & utilitatem vectigalium exponendis, emensurandis compingendisque mercibus, publice constitutum. *Fritsch de jure Nundinar. c. 10. n. 18.* adeoque secundo Generi juris Stapulæ quam proxime accedens. *vid. Dn. Stranch. d. Imp. Maris c. 7. n. 6. Loccen. lib. 1. c. 10. Marq. lib. 2. c. 6. n. 1.*
17. Nullatenus tamen ipsis qui ad jus Stapulæ adstringuntur integrum est, ad hoc declinandum, novas vias aut elusiones quærere, ne per indirectum sequatur, quod directo vetitum est, adeoque quamvis non contra legem, attamen in fraudem ejus quid committatur. *l. 26. ff. de legib. Marq. lib. 1. c. 17. n. 53.*
18. Et hæc de primo jure Portus, naves subsistentes in portu efficiens. Secundum est jus Protimiseos seu Prælationis in emendis rebus in portum advectis. Jus Protimiseos in jure Romano Prælationem significat, qua quis in emendis rebus reliquis præfertur, ita ut quamvis jam venditares sit nilminus intra certum tempus eam revocare possit. *Zæsius in Tract. d. Retractu, Tit. ff. de Leg. Commissor, sub*
20. *nexo num. 37.* Et quamvis hoc jus videatur libertati Dominiorum repugnare, adeoque resistere liberrimæ facultati disponendi de re sua pro arbitrio à jure concessæ, & relinquendi penes eum cui vendita est. *l. 14. C. d. Contrah. Empt.* Attamen dubium non est quin ea res etiam citra iniquitatis
- feci-



speciem, propter justam causam, contraria consuetudine im-  
mutari possit. Justa autem causa ob quam jus Protimiseos in-  
troduci possit, est 1. favor Familæ & Agnationis, cujus interest  
rem quæ fuit majorum, penes descendendum aliquem poti-  
us manere, quam ad extraneos transire. *vid. Preusch Land-  
Recht lib. 4. Tit. 6. art. 3. §. 1.* cui & ipsum jus Divinum adsti-  
pularur, quando *Levit. 25. v. 25.* proximis agnatis jus reluendi  
rem venditam concedit. Sic quoque 2. propter Creditum,  
*l. 16. ff. de Reb. autor. judic. possid.* 3. propter jus vicinitatis  
*Constit. Friderici 5. feudor. 15.* 4. propter Dominium dire-  
ctum, *l. 3. C. de Jure Emphyteut.* 5. propter Communionem  
seu locietatem *Constit. Friderici 5. feud. 16.* 6. propter studi-  
orum favorem, *vid. Marggraff Albrechts öffentliches Auf-  
schreiben wegen der Universität in Königsberg.* Ibi gleiches  
gestalt sollen alle der Schulen und Universität Professoren und  
verwante mit einem freyen Verkauf allerley Viehes und  
häußlicher Nothdurfft begnadiget und bestreyet seyn. Et 21.  
ob alias etiam causas jus Protimiseos receptum esse, patet.  
Non minus igitur recte tale jus Prælationis Principibus seu  
illis qui Portibus præsumunt, concessum est, in emendis rebus  
in portum advectis: nam si familiæ vicinitatisq; favor privatis  
prælationem affert, quanto rectius, conservationi Majestatis  
eadem concedenda erit. Non tamen vel vi vel injusto pretio  
à venditoribus res extorquendæ sunt, hoc enim Jus Protimi-  
seos non vult, sed tantum prærogativam aliquam in emendis  
rebus permittit, ita, ut omnino justum rei pretium, quod ali-  
us emptor revera daturus fuisset, jus prælationis habens, sol-  
vat. Idem juri huic conveniens est. *vid. Dn. Struv. Ex. 23.  
th. 64. Zæsius th. 97.* Tale jus Prælationis Principes plerisque  
in portibus introducere. De Regno Sveciæ speciatim testa-  
tur *Loccenius lib. 1. c. 9. §. 5.* quod Rex Sveciæ in mercibus in  
portum advectis, hoc jus Prælationis habeat, ita, ut quod ipsi

E 3

placet,





placēt, ex istis mercibus, pro justo pretio, emat eligatve præ aliis. Idem quoque in portibus Ducatus Prussiae valet, in quibus Serenissimo Electori Brandenburgico supremo Prussiae Domino jus hoc Prælationis competit; quod in advectis equis Danicis eo luculentius claret, dum hi, sine insigni poena vendi non possint, priusquam Serenissimi Præfecto Stabuli in conspectum adducti fuerint.

24. Quæritur autem cum jus hoc per annum & diem duret. *Dn. Struv. Ex. 25. th. 65. Preusch Land Recht lib. 4. tit. 7. art. 1. §. 3. 4. 5. 6.* an etiam hoc tempus concessum iis, qui hoc jure in Portibus fruuntur? Et dicimus, quamvis nuda scientia rem esse alienatam, tempore præfinito non elapso, jus illud, sine resignatione facta, non impediat. *Carpzov. jurispr. for. part. 2. Const. 32. Definit. 1.* Dimissionem tamen illam, qua Princeps advectas probeque inspectas res dimittit, loco resignationis esse, adeoque semel repudiata re, postmodum intra annum & diem eandem repetere non licere: imprimis cum facta denuntiatione, si quis se emere nolle dicat, hoc j<sup>o</sup> protimisceos amittatur. *Dn. Carpzov. d. l. Berlich. part. 2. Conclus. 32. qv. 1. n. 5.*

25. Tertium jus Portus circa naves in portu subsistentes, est jus Exigendi Angarias Naviumque præstationes. Vox Angaria dicitur à Græco ἀγγαρεία quod compulsionem seu coactionem significat. Et est onus quo ad species portandas, 26 transferendas, vel commearum ad Exercitum portandum, provinciales Equi, boves, plaustra aut naves præstandæ sunt. *Dn. Brunne man. ad Tit. Cod. d. Cursu publico Angar. & Paran. gar.* Præstationes autem navium sub Angariis comprehendit, speciemque aliquam Angariarum esse, innuit. *l. 4. §. 1. ff. de Veteranis* ubi Naves angariari dicuntur. Has Angarias exigere 28 & imponere possunt illi, qui portui cum summa potestate præsunt: præstationes enim Navium & Angariæ Regalibus accensentur. *c. unic. qua st. Regal. 2. feudor. 56.*

Causa



Causa hujus oneris cum sit necessitas & utilitas pu-29.  
blica, omnibus in commune necessitate exigente conveni-  
et, utilitatibus publicis obedire, & subvectionem sine digni-  
tatis privilegio celebrare. *l. 1. C. de Navibus non Excusand.* Et  
hoc quidem in navibus subditorum minus dubii habet, hi e-  
nim omnibus modis ad utilitatem publicam promovendam  
obstricti sunt. Insuper quoque jure Romano Angariarum,  
Naviumq; onera patrimoniis possessionibusque indicta sunt<sup>30.</sup>  
adeoque patrimonialia munera dicuntur. *l. 18. §. 21. patrimo-  
niorum ff. de Munerib. l. XI. ff. de vacat. & Excusat. Muner. (non  
obstante l. 18. §. 4. ff. d. t.)* à quibus nulla privilegia præ-  
stant vacationem. *l. 10. ff. de vacat. & Excus. Muner.* & neque li-  
beri, neque ætas, neque merita militiæ, neque ullum aliud pri-<sup>31.</sup>  
vilegium tribuit Excusationem. *l. XI. d. t.* imo licet ad Eccle-  
sias, sacrosanctas possessiones pertineant. *l. 10. §. XI. C. de SS.  
Ecclesis,* aut etiam Pontifex sit. *l. 18. §. 24. ff. de Munerib.* immu-  
nitatis tamen privilegio non gaudent, si ad felicissimam ex-  
peditionem supremi Principis. *d. l. XI. C. de SS. Eccles.* vel ad<sup>32.</sup>  
publicæ annonæ transvectionem *l. fin. C. d. Navib. non Excus-  
sand.* vel ad instructionem vel restaurationem pontium, via-  
rum publicarum *l. 7. C. de SS. Eccles.* portus, murorum, *l. 7. C.  
de Operib. publicis,* angariæ exiguntur. Quippe nulla privilegia  
vel Dignitates necessitati publicæ obesse debent. *l. 10. C. d. An-  
nona vid. Dn Brunneman. ad leg. 1. C. de Navib. non Excus.* Ro-  
senthal de feudis cap. 5. Conclus. 72. n. 2. & 3. Sixtinus d. Regalibus  
lib. 2. ap. 13. n. 28. Cæteroquin Ecclesia & alia pia loca, personæ  
Ecclesiasticæ, milites, liberalium artium Professores & alii  
vacationem ab hisce muneribus patrimonialibus habent. *l. 10*<sup>33.</sup>  
*§. 2. ff. de Vacat. muner. l. 2. C. de Episcop. & Cleric. Sixtinus citat.  
loc. num. 26.*

Et hæc de subditorum navibus. Exterorum in portu sub-34.  
sistentes naves, quamvis eo modo Principi Portus obstrictæ  
non





non sint, quo subditorum, non tamen ab Angariis præstandis immunes sunt. *per l. 18. §. 22. ff. de Munerib. & Honorib. & quotidianam praxin Sixtinus de Regalib. lib. 2. c. 13. num. 22.* Idque ob Principis Dominium Eminens, quod in bona subditorum habet: hoc enim indefinitam in bona subditorum, ad usum publicum concedens facultatem, bona peregrinorum non eximit, qui propter subsistentiam, quamvis temporarii, nihilominus subditi sunt. *Grotius d. 1. b. & p. lib. 2. cap. 2. num. 5.* Quod tamen semper intelligas, hæc ita ad justitiæ normam tantum fieri, si pro ratione tum doliorem, quibus naves æstimantur, tum pro nautarum numero ita conductorum, congrua merces præstatur. *Selden. d. Mari Claus. lib. 2. c. 20. Loc. cen. d. Jure Martim, lib. 1. c. 5. n. 5.*

35. Hic quæritur, si naves in præstatione Angariarum diripiantur ab hostibus aut deteriores reddantur, num à Principe cui hæ Angariæ præstantur, hoc damnū veniat resarciendum? Et quidem navis direpta vel deteriorata, est vel subditi, vel Exteri alicujus. Si subditi, is, vel ex speciali lege aliqua ad hoc onus obligatus est, & si damnum passus fuerit, à Principe restitutionem non impetrabit, quia obligationi ab ipsa lege sibi impositæ, paruit: aut navis, à Principe accedente justa mercede, locata, interit, & itidem Princeps restituere non tenetur, quia Princeps ut Conductor ad casus fortuitos, quos inter incursus prædonum & hostium referuntur. *l. 15. §. 2. ff. Locat. non tenetur l. 23. ff. d. R. J. d. l. 15. §. 2. ff. locat.* Idem dicendum de Exteriorum navibus, quæ ad præstandas Angarias conductæ sunt. *Sixtinus de Regalib. lib. 2. c. 15. num. 77. Locc. lib. 2. c. 5. §. fin. add. Marquard. de Jure Mercator. lib. 2. c. 5. num. 47. qui dissentit.*

36. Quartum & ultimum Portuum jus, circa naves subsistentes, est Jus Repressaliarum. Vocabulum Repressaliæ natura exoticum & barbarum est, quod sive à *reprelando* sive, à *re-*



à *repressu* sive *reprimendo* sive à Gallico *reprendre* & *reprise*, quod est vicissim aliud pro re sua accipere, sive ab Italico *preso* pro *preso* atq; *preso* pro *represo*, sive etiam à *presa* quod capturam significat, derivaveris cum omnes suis nitantur rationibus, non multum aberraveris; quamvis posteriores Italicæ magis arrideant, quia constat *Repressalias* maxime in Italia frequentes fuisse, & originem etiam suam inde fere accepisse, quod argumento satis esse potest, etiam vocabulum ejus esse idiomatis. *Arumæus volum. 2, Discurs, Acad. 8. th. 1. Vosius de vitiis sermon. lib. 3. c. 42.*

Describitur jus *Repressaliarum* quod sit remedium Ex-37. traordinarium, alterius loci civem vel bona, protracta denegatave justitia à magistratu eorum requisito, detinendi, pro alterius debito, à superiore concessum.

Originem *Repressaliarum* non incommode adscribi-38. mus illi juri, ex quo bella orta sunt, juri scil. Gentium secundo §. 2. *Inst. d. J. G. & G.* quia *Repressaliæ* belli speciem, referre dicuntur. *Sixtinus lib. 2. d. Regal. c. 1. n. 30.* nec enim, ab alio, quam qui Majestatem habent & bella gerere possunt,39. recte conceduntur, nec quoque sine causa, bellum gerendi sufficiente, permittuntur. *Dn. Brunnem. ad Authent. Sed omnino C. Ne uxor pro marito.* Scilicet ut bella justa, malitias eorum qui vel reddere, quod per injuriam ablatum est, vel quod alias improbe à suis factum, emendare vel vindicare neglexerint, ulciscuntur. *C. Dominus caus. 23. qu. 3.* Sic *Repressaliæ* temerariam aliorum audaciam, in depraedando reprimere, & denegatæ justitiæ satisfactionem, intendunt. Et hæc tantum est justa exercendarum *Repressaliarum* causa, protracta scilicet seu Denegata justitia. *Das dem Kläger das Recht kundlich versaget / und gefährlichen verzogen werden.* quo refertur si expresse judex inique judicaverit, non si secundum leges & statuta sui loci, quamvis iniqua fuerint, sententiam tulerit,  
F scœpius





soepius enim accidit, ut in una civitate aliquid iniquum habeatur, quod in alia æquum judicatur.

40 Justitia Repressaliarum satis declaratur ex illis quæ bella justa pronunciant, & ex hoc, quod justitiam intendant, & id quod injuste abest, persequantur; neque enim qui suum repetit, ullam videtur fraudem facere vel injuriam *leg. 6. §. 6. ff. que in fraud. Creator.* Hoc, quamdiu ordinatio aliquo remedio obtineri potest, Repressaliis, utpote remedio extraordinario, locus dandus non est. *arg. l. 14. ff. de Minor. Carpz. part. 4. constit. 16. Definit. 4. & 5.* Ut non addam Christi dictum *Matth. 21. vs. 43.* dicens Regnum auferendum esse injustis regentibus, & dandum populo justitiam facienti. Si ergo Christus permittit ob injustitiam auferre Regnum, multo magis ob denegatam justitiam unius vel alterius bona detinere permittet. *vid. Dn. Richter Disp. 4. ad Auth. Habit. C. Ne Pater pro filio pag. 63. Johan. Jacob. à Canibus de Repressaliis part. 1. n. 24.* Repressalias ergo injustas esse, non evincet, fortissima contradicentium ratio, in fontes iniquitate & onere fontium & delinquentium in Repressaliis gravari, eorumque reatus portare. Equidem in fontes puniendos esse, nemo affirmabit, attamen hos, quorum bona, ut sic dicam, repressaliantur, innocentes esse, nemo quoque dixerit, siquidem Universitas & ejus major pars, nomine Universitatis, singulos obligant qui sunt in societate. *Grotius d. j. b. & p. lib. 2. c. 5. §. 17.* Si ergo judex deputatus à Civitate vel Gente negligat facere justitiam, ipsa Civitas vel Gens, mandans illi jurisdictionem, ex mandato tenetur sicut & alii mandantes tenentur ex defectu mandatarii *l. 21. ff. Mandati.* Talesque Civitates ex negligentia culpam alienam videntur fecisse suam & propriam *c. sed illud 17. Distinct. 45. c. Consentire 5. Dist. 83.* Resolutiones textuum Jur. Civil. & Canonici qui Justitiæ Repressaliarum obstare videntur, ne ultra propositum tractatio excrescat, publicæ ventilationi, reservamus, videas tamen obstantes hos textus  
satis



latis remotos apud citatum Joh. Jacob à Canibus de Repressal. p. 1.  
Concludimus ergo pro Justitia Repressaliarum, sequen. 41.  
tibus observatis requisitis.

1. Si à Majestate fuerint Impetrata.
2. Si Civi Nostro Justitia fuerit Denegata.
3. ab iis, quibus adversarius, cujus bona occupanda sunt, est subiectus.
4. Si justitiam denegans, superiorem non habeat, apud quem de injuria queri possit.
5. Si læsio sit liquida & grandis. Extraordinaria enim subsidiaria & odiosa Remedia pro modica re non solent concedi. *di l. 9 pr. ff. d. Minorib.*
6. Non extendantur ad personas privilegiatas, quorsum referuntur Legati, qui jure Gentium inviolabiles sunt, Studiosi *arg. Auth. Habita C. Ne filius pro patre Ibi: nec ob alterius cujuscunque provincie debitum sive delictum aliquod damnum eis inferat. vid. Dn. Richter in Exposit. dicta Authent. Disput. 4. Arumaus Volum. 2, Discurs. Academ. 8. th. 3. Joh. Jacob. à Canib. d. Repr. p. j. num. 43. & seqq.*

## CAPUT V. DE SPECIALIBUS PORTUUM JURIBUS CIRCA NAVES RECEDENTES.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Connexio.   | 4. Mercium exportandarum cura habenda.                            |
| 2. Naves habere non omnibus licet.   | 5. Quenam res Jure Romano exportari prohibeantur.                 |
| 3. Consuetudo naves Peregrinorum conducere non posse, quam si Domestica naves merces suscipere vel nolint, vel non possint, injusta non videtur. | 6. Quae ad prosequendum bellum faciunt, hosti advehere non licet. |
|  | 7. An Tabacum species Commearus.                                  |

F 2

8. Mer-





- |   |  |
|---|--|
| <p>8. Merces prohibita vel in Tractatibus declarantur, ut in Tractat. Regis Gallie &amp; Civitat. Hanseatic.</p> <p>9. Vel exorto bello in publico Edicto enumerantur, ut anno 1659. in Dania factum.</p> | <p>10. Pœna illorum qui prohibitas merces vehunt.</p> <p>11. Naves recedentes ad solvendum vectigal tenentur.</p> <p>12. Solutio questionis An Princeps navigantibus vectigal solventibus illata damna resarcire teneatur.</p> |
|---|--|

1. **E**Xpositis jam juribus Portuum, tum quæ circa advenientes, tum quæ circa subsistentes naves constituta sunt, ordo connexionis exigit, ut jam de iis juribus, quæ Portibus circa naves recedentes competunt, aliquid tradamus. Et quidem cum non omnibus naves habere semper permissum, quibusdam etiam, quamvis naves possideant, iis tamen promiscue uti interdum concessum non sit; Portuum Præfecti in qualitate ex portu recedentis navis, inquirent sedulo. Sunt autem recedentes naves vel Civium seu Incolarum & Domesticæ, vel Exterorum & peregrinæ. Civibus Romanis naves habere prohibitum non erat. *l. 1. C. d. Navib. non Excusand. l. 3. ff. de vacat. & Excusat. Muner.* Senatoribus tamen & Præfidibus Provinciarum possidere naves non licebat. *l. 46. §. 2. ff. d. Jure fisci d. l. 3. ff. d. vacat. & Excus. muner.* ne forte an acquirendi & negotiandi promiscua libertate studioque quæstus, à publica administratione avocarentur, aut etiam commoda mercatorum interciperent. *Loccen. lib. 1. de Jure Maritim. c. 2. num. 1.* Exterorum naves sunt, qui ad alios quam ad cives spectant. His quidem possidere naves in alieno portu non prohibetur, aut tamen usus navium peregrinarum pro commodo Reip. restringi potest. Sic ex consuetudine multorum locorum non aliter extraneæ naves ad transvehendas merces conduci possunt, quam si domesticæ, merces suscipere nolint, aut non possint, *Ruttiger Rulant. de Commissar. part. 4. lib. 2. c. XI. num. 13.* quale quid in specie de Gallia re-
- 2.
- 3.



lia refert *Marquard. de jure Mercatrr. lib. 1. c. XI. num. 55. & c. 15. num. 23.* in qua, proposito Edicto Anno 1659. sub certo pretio onerario prohibebatur, ne in portub<sup>9</sup> Gallicanis, extraneæ naves onerentur, si domesticæ adsint, & quamvis, Eodem referente, Hanseatici cum Hollandis huic Edicto tanquam ipsorum privilegiis adverso, contradixerint, in seramen ejusmodi statutum injustum non videtur.

Alia postmodum cura Praefectorum Portuum est in inquirendis mercibus avehendis; nam sicuti omnes promiscue merces in Rempubl- advehere *prout cap. 3. dictum.* Reip. consultum non est, sic quoque omnis generis merces exportare, Eidem non conducit. Hinc in providis Rebuspubl. summam advertimus operam in statuendis & determinandis rebus, pro usu & necessitate publica avehendis & advehendis. Prohibentur autem merces exportari tantum à Majestate, & quidem vel generaliter, quando ad nullam omnino gentem certas transferre merces licet: vel specialiter, quando tantum ad certas aliquas gentes prohibitio se extendit. In Jure Romano ad nullam gentem transvehere licebat, res, quæ in commercio non erant, si enim plane ab omni commercio exemptæ sunt, ad speciem Commerciorum non pertinebunt. tales res, sunt Res Divini juris. *l. 22. l. 62. §. 1. ff. de contrah. empt.* Homines liberi *l. 207. ff. d. V. S. l. 6. d. Contrahend. Empt.* Romanæ Gentis Eunuchi *l. 2. C. de Eunuch.* Purpura *l. 1. C. quæ res venire non possit.* In Belgio non permittunt ne pacis quidem temporibus, ut avehantur illinc equi quindenis palmis altiores, equæ vero cujuscunque sint magnitudinis, nullo unquã tẽpore sine peculiari permissione possunt abduci *Marquard. de jur. Mercat. lib. 1. c. 17. n. 8.* Idem simul de Anglia asserens. Huc pertinet etiam Institutum Venetorum quo per totum suum Dominium vetant, ne quis quercus, etiam in proprio fundo natas, excindat & vendat propter-





ea, quod necessaria illa sint Reip. ad triremes aliasque naves ædificandas. *vid. Perez. in Tit. Cod. d. Cupress. ex Luco Daphens. lib. XI. num. 5. Dn. Strauch. Dissert. Justin. 15. th. 6.* Res seu merces quæ ad aliquas gentes imprimis Barbaras hostesque jure Romano transportari prohibentur, sequentes recententur: aurum *l. 2. C. de Commerc.* vinum oleum aliudve liquamen ne gustus quidem causa. *l. 1. quæ res export. non. deb.* lorica, scutum arcus, sagitta, spathi, gladii alteriusve generis arma, tela, omneque ferrum vel factum vel infectum, etiam sub capitali pœna & confiscatione honorum, ad dictas gentes barbaras hostesve transvehere interdictum est. *l. 2. C. quæ res export. non debeant.* Perniciosum namque Romano imperio & proditoni proximum est, Barbaros quos indigere, convenit, telis, ut validiores reddantur, instruere *d. l. 2.* Cotem, similiter ferro subigendam necessariam, hostibus vendere, ut ferrum frumentum & sales non sine periculo capitis, licet *l. XI. pr. ff. d. publican.* Nostris temporibus ea quæ exportari prohibentur, dicuntur communiter **Wahren von Contrebanden** / & plerumque à Rebus publ. pro ipsarum vel indigentia vel sufficientia statuuntur. Belli autem tempore, imprimis ea quæ ad prosequendum bellum prodesse possunt, hosti ad vehere non licet. Pro hoste enim censendus est, qui opem & auxilium, ferendo eundem audaciorem reddit: adeo ut illis mercatoribus, prohibitis mercibus hostem juvantes, securitas commerciorum nullatenus præstanda sit, cum ipsi securitatem publicam suis commerciis illicitis turbent, & quantum in ipsis est juvando & validiorum reddendo hostem, evertant. Merces autem quibus hostem adjuvamus sunt non tantum omnis generis arma, quorsum pulverem quo ad tormenta bellica & bombardas onerandas, utuntur, itemque plumbum & sulphur referimus, *arg. l. Cotem. XI. ff. de publican. vid. Strauch ad Mercatura part. 4. num. 14.* Sed & omnis generis **Comçatus** :



meatus: quia non minus Commeatu quam armis hostibus  
suppetiæ feruntur. Ad Commeatum autem pertinet omne  
frumentum, farina legumina &c. His an Tabacum recte an-  
numeretur, quætitur? Et de hoc litem aliquam fuisse inter  
Hispanos & Anglos refert *Marquard. lib. 1. c. 16. n. 33.* Hispani  
asserébant herbam hanc inter victualia referendam esse, vel  
propterea, quod ejus usu victualium consumptio protraher-  
tur, & in eadem causa Tabacum esse dicebant, in qua sal, quo  
victualia à putredine conservantur. Angli contra pugnantes,  
imprimis urgebant, tum Medicorum testimonia, quæ herbæ  
hujus fumum nutrire, negabant: tum Jurorum autoritates,  
asserentium quod, quia Tabacum expresse inter prohibitas  
merces relatum non fuerit, exteros ad id tantum teneri, quod  
expresse interdictum est, ex paritate autem rationis solum  
contra subditos concludendam esse.

Hæc & alia ne litium dent ansam, vel in pactis exprimi solent,  
quæ merces exorto bello prohibita esse debeant: quod factum in Ci-  
tata jam Tractatione maritima inter Regem Gallia & Civitates Han-  
seaticas *1655.* in qua imprimis § 2. longo ordine merces prohibita  
enarrantur. *Wahren von Contrebande werden verstanden zu  
seyn Kriegs munition, allerhand feuer-Waffen benahment-  
lich Canonen, Musqueten/ferwörser/ferwugeln/Petards  
den/granaten/Saucisses, Krantz/Assuten/Fourchetten Ban-  
delier/Pulver/Luntten/Salpeter/und allerhand andere ar-  
ten von gewehr/als Pfecken/Degen/Nickelhauben/Sturms  
hüte/Kürsch/Helbarten/Wurffspiesse/und andere waffen/so  
zum Kriege dienlich/wie auch Pferde/Lhaumerck/und Seget-  
ruch/welches nicht zu anders als Schieffs-Segel kan gebrau-  
chet werden. Sie sollen aber frey führen mögen/Korn und  
allerhand sorte Branen/Hülßen fruchte/und andere dinge zu  
des menschen leben dienlich/wen nur die Städte und Plätze  
dahin sie solches führen von Ihr. Königl. Mayst. nicht attra-  
quiret seyn etc.* Vel



9. Vel etiam exorto jam bello, publico Edicto merces prohibita enumerantur. Hujusmodi Edictum Rex Daniæ Anno 1659 oborto cum Svecis bello, publicavit, in quo præter ea quæ jam enarrata sunt, ulterius prohibebantur no. 2. *Allerhand Victualien von Essen un̄ trinckwahren/ so wol auch allerhand grob und klein Saltz/ ohn allen unterscheid/ nichts davon außbeschelden/ als alleine allerhand Weine/ Brandweine and Specereyen/ Bering und Saltz so nach Ri: sfland und Moscovien geführet wird, etc.* & no. 3. sol auch unter Contrebande *Wahren* gerechnet werden Galmey, Cattun auch was sonst zu beförderung allerhand manufacturen und Arbeit dienet/ welche in Schweden/ unnd dessen Unterliegenden Landen und Städten gemacht/ gewebet / oder sonst anderer gestalt verfertigt oder zu wege gebracht/ item gegossen/ gezogen oder geschmiedet werden etc.

Pœna illorum qui prohibitas vehunt merces, si subditi fuerint est pœna Criminis læsæ majestatis l. 4. ff. ad Leg. Majest. vid. l. 2. C. *quæ res exportar*: Si vero Exteri, est Confiscatio mercium prohibitarum, non a. licitarum quamvis cum illicitis mixtæ fuerint. l. xi. §. 2. *Dominus ff. de Publican.* Rodericus Zuarius de *Usumaris Consil.* 2. no. 6. perinde ut in solutione vectigalium professæ cum occultatis in commissum non cadunt, Rosenthal. de feud. *Concl.* 41. cap. 5. Add. *VVissenbach Dup. ad fsta 15. d. 25.* Navem a. ipsam in commissum cadere nisi & magistri navis concurrat dolas, aut specialia adsint statuta & consuetudines, non satis æquum existimo, d. l. xi. §. 2. de publican, Marquard. lib. 2. c. 4. no. 38. & seqq. Add. *Dn. Struve in Synt. J. C. Ex. 39. d. 50.*

II. Ultima Præfectorum Portuum cura, consistit in exactione vectigalium, ad solutionem enim vectigalium naves ex portu recedentes æque obligatæ sunt, cum causa constitutorum vectigalium, seculari scil. commerciorum & navigandi præstatio, non minus in advenientibus quam recedentibus locum habeat, verum de vectigalibus cum *m cap. 3.* jam actum sit, hic nihil addimus, hanc solum pro conclusionem Disputationis subjungentes quæstionem, An Princeps navigantibus, vectigal solventibus illata damna refarcire teneatur? Damna quibus navigantes expositi sunt, procedunt, vel à vi Divina vel



vel humana. Ista sunt, quæ à tempestatum procellarumque injuria  
veniunt & à nemine præstantur, quia consilio aut Prudentia humana  
provideri aut saltem præcaveri non possunt, *l. 1. §. 4. ff. de Obligat. &  
Actionib. l. 24. §. 4. ff. de Damno Infecto l. 25. §. 6 ff. Locat. Cond. l. 23. de  
R. J.* Hæc sunt ea, quæ à Piratis vel hostibus inferuntur, de quibus  
in præsens tantum quæritur. Et nec ad hæc Principes regulariter te-  
neri, dicendum foret, *ex l. 23. de R. J.* Ibi: Impetus Prædonum à nullo  
præstantur, quia & hi inter casus fortuitos referuntur. Verum con-  
trarium ut asseramus duplex urget ratio. Prior quod hæc Da-  
mna in his casibus, ad Casus fortuitos referri non possint: Nam Casus  
fortuitus is est, qui consilio, prudentiave humana provideri aut fal-  
tem præcaveri non potest; Jam autem Impetus latronum quamvis  
quoad privatos ad casus fortuitos referatur, quoad Principes tamen  
idem dicendum non est, quippe hi latrocinia & piraticam utiq; præ-  
cavere possunt & debent: adeo, ut merito ex neglectu teneantur Re-  
ges ac Magistratus qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non ad-  
hibent ea remedia quæ possunt aut debent. *Grotius de J. b. & p. lib.  
2. c. 17. § 20.*

Posterior ratio est, quod Princeps exactione vectigaliū Casum hunc,  
si fortuitus dicendus, in se suscipiat: quo casu etiam privatos teneri  
per textum Expressum *legis 6. C. de pignorat. Action.* affirmatur. aliud  
tn. dicendum, si expresse propter alias causas non autem propter se-  
curum transitum vectigal exigatur, *vid. Rosenth. de feud. Cap. 5. concl.  
22. Dn. Strauch. diss. de Imper. Maris c. 6. no. 7. Marquard. lib. 1. c. 13. no. 9.  
Loccen lib. 2. c. 3. §. 4. Gailius Observ. lib. 2. Observ. 64.* Et hæc in præsens  
de Portuum juribus sufficiant.

DEO Optimo Maximo pro Ejus Divina  
adstantia sit Laus Honor & Glo-  
ria in secula,



Ad Nobil. ac Doctissimum,

DN. WEGERUM.

DISPUTATIONIS hujus AUTOREM.

V Astum velut Mare ingredi oportet sectantes Sapientiam. Non infames naufragiis flexus, non Cœli ventorumque iræ, nec latrociniis infesta itinera extimenda sunt; labores omnes, molestias & pericula tenacis propositi spes superat, & affulgentis aliquando portus dulcedo solatio est. Idem tibi NOBILISSIMÆ DN. VVEGERE solida eruditione animum expolituro usu venit: cum monitus esses, eo felicius in gravioribus studiis progredi, quo primis disciplinis, & philosophicis, quas vocant artibus, quis præmuniverit animum fidelius, omnes istas ex propositi ductu absolvisti prius, quam sublimiora adiisti. Nullius te molestiæ tædiū cepit, vel periculi plena abripuerunt diverticula, Quot incauti idem tecum iter ingressi, Seculi tenebris oppressi, ad fatuos aut erraticos ignes, terrenis vaporibus accensos, vel Syrtes deflexerunt, & pulchri propositi fecerunt jacturam; Tu scansili artium lege procedens, iter emensus es feliciter; ut studiorum PORTUM non conspicias amplius, sed in PORTUS recepti indicium de PORTUUM jure Disputationem varia eruditione conscriptam publicæ ventilationi exhibueris. De Ingenii felicitate ac eruditionis elegantia plura afferrem testis sincerus, nisi verecundi oris tui vererer ruborem. Loquuntur mores, & virtus tua non eget præconio. Gratulor modo de lato studiorum PORTU, & propediem hinc abituro felicia precanda apprecor. Vale virtutibus tuis præstantissime juvenis, & egregiam, quæ de te sedet, spem adimple, aut, qua fieri potest, Falle.

D. Raptim 8tavo Non.  
April. 1671.

Sincero affectu  
scrib.  
Disputat. PRÆSES.



X2617620


WMA











B.I.G.

Farbkarte #13

<sup>20.</sup>  
Q. D. B. V. 466  
DISPUTATIO JURIDICA, 1671, 4a  
*De*  
**JURE PORTUUM,**  
*Dom*  
**Recht der Meer-Haven /**  
*QUAM*  
ADSISTENTE DIVINA GRATIA  
*Auctoritate & Consensu*  
Magnifici Ictorum Ordinis  
P R Æ S I D E  
DN. JOH: FRIDERICO RHETIO,  
J. U. D. Pandect, P.P. Celeberrimo,  
*Domino Patrono ac Praeceptore suo atatem  
colendo;*  
*publicæ Disquisitioni proponit.*  
AD DIEM VII. APRILIS. A. R. O. MD. C. LXXI.  
*Horis locoque consuetis*  
**ALBERTUS VVEGER,**  
Regiomontanus Boruffus,  
FRANCOFURTI ad VIADRUM.  
Literis FRIDERICI Eichorns,

